



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Historiæ Societatis Jesu Pars ...

Complectens Res Gestas Sub Mutio Vitellescho ... Ab Anno Christi MDCXVI.
Societatis LXXVII. / Auctore Julio Cordara Societatis Ejusdem Sacerdote

Orlandini, Nicola

Romæ, MDCCL

Historiæ Societatis Jesu Partis Sextæ Liber Septimus Annus Chr. 1622.
Soc. 83.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98108](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98108)



HISTORIÆ SOCIETATIS JESU PARTIS SEXTÆ LIBER SEPTIMUS

ANNUS CHR. 1622. SOC. 83.

1.
RES ROMANÆ.
Acta pro cano-
nizatione BB.
Ignatii, & Fran-
cisci Xaverii.



2.
Principum lit-
teræ ad Pontifi-
cem de meritis
B. Ignatii.

EQUITUR annus sæculi vigesimus secundus, Societati immor-
taliter memorandus ob adscriptos sanctorum indici Ignatium,
& Franciscum Xaverium, alterum ordinis parentem opti-
mum, alterum inter alumnos facile primum. Rem jam pri-
dem summis sociorum votis concupitam, & Romæ sapius
agitam, aliæ ex aliis enata moræ distulerant usque ad hoc
tempus. Clemens VIII. in Xaverium pronus, de Ignatio
cunctabundus, causam utriusque intactam reliquerat. Pau-
lus V., cum Beati nomen & cultum Ignatio primum, ac deinde Xaverio de-
crevisset, spem faciebat altiora utrique deferendi, si contingeret quempiam
alium esse Ecclesiæ fastis addendum. Verum id opperientem mors intercepit.
Commodum successit illi Gregorius XV., qui a prima ætate Romæ in collegio
Germanico educatus, jam tum præcipuo quodam studio imbui cœperat erga
beatum illius collegii fundatorem; & progressu temporis cooptatus inter Duo-
decemviros juri dicundo præpositos (sacra rotæ Auditores vocant), apud quos
illis temporibus hujus generis causæ disceptabantur, acta omnia de Ignatii vir-
tutibus & miraculis accurate cognoverat. Talem ergo nactus Pontificem Mu-
tius, egit apud eum sedulo, ut fundatori Societatis decerneret aliquando tan-
dem eum cultum, quo esse dignissimum non ignorabat. Ut Ignatio Xaverium
adjungeret, auctor fuit P. Nonius Mascarenia, qui pro Lusitanis provinciis,
ut loquimur, Assistens erat, Pontificem ex se bene animatum accenderunt vota
Cæsaris, Regum, Antistitum, & prope omnium etiam in orbe ultimo populor-
um, uno ore flagitantium, ut Roma operi manum ultimam adderet, & cœli
suffragio, quod crebra ubique miracula loquebantur, suum denique adscribe-
ret. Exstant de Ignatio litteræ Ferdinandi II. Cæsaris, Ludovici XIII. Gallia-
rum Regis, & Ducis Bavariæ Maximiliani, e quibus litteris, ut nihil de aliis
dicam, intelligi potest, quam præclara esset Europæ totius existimatio de Igna-
tii virtute. Ferdinandus quidem ait, e re ac dignitate Romani imperii esse,
ut in sanctorum numerum adscribatur fundator religiosi illius ordinis, quem
videretur Deus ad tuendam in Germania religionem elegisse. Ludovicus, com-
me-

memorans Societatem quodammodo natam esse Parisiis, collectamque ex alumnis illius academiam, cessurum in regni sui decus significabat, si ejusdem auctor honorem tam insignem consequeretur. Maximilianus pro tot rebus nuper a se bello Bohemico gestis contra hæreticos, nullam petebat aliam ab Apostolica sede mercedem, nisi ut Ignatium in sanctorum albo scriberet. At beati viri causam impensissime omnium agebat Ludovicus Ludovicius Cardinalis, nec scio equidem an alius ageret efficacius. Non alius certe plus apud patrum Pontificem auctoritate & gratia poterat, nec alius fortasse erat B. Parentis cliens, qui augenda ipsius gloriæ magis studeret. De Francisco Xaverio sua jam vota Romam oriens occidensque detulerant. Statim ab ejus obitu Goanus Archiepiscopus, cunctique Indiarum Præsules, communicatis cum Joanne III. Lusitania Rege consiliis, Romanum urgere Pontificem non cessaverant, ut audiret aliquando preces totius Asiæ, & honores sanctis tribui solitos Xaverio decerneret. Hoc primum, ac fere unum Japones ad Gregorium XIII. legati, post solemne obsequium Ecclesiæ rectori delatum, suæ gentis nomine flagitaverant. Hoc Lusitania Rex iteratis oraverat litteris. Nec segnior fuerat Europa in eodem oraculo exposcendo, quippe Xaverii virtutum & miraculorum plena.

Gregorius igitur, peractis rite omnibus quæ rei gravitas postulabat, & quæ Romana fert consuetudo, XIV. Cal. Martii Cardinalibus in consistorio significat, deliberatum sibi esse Ignatium & Xaverium sanctis adscribere. Ac de Ignatio primum dicere exorsus: „ Merito (inquit) ab hac sancta Apostolica sede honores ei debentur, qui pro ea defendenda ac propugnanda se, familiamque suam sanctissime devovit. Intelligitis, opinor, Fratres dilectissimi, de quo loquamur. Nobis profecto videtur accommodari posse B. Ignatio illud præconium, quod de Josue scriptura commemorat: *Fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum, expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur hæreditatem Israel.* Nam & igne charitatis in Deum exarsit Ignatius, & ignem illum in eos, qui prædestinati sunt a Deo, indesinenter immisit, & hostes eodem ipso tempore adversus electos Dei insurgentes, sacra militia conscripta, & contrariis armis instructa, expugnare cœpit, & quotidie, Deo duce, magno Ecclesiæ bono expugnat: ut propterea, sicut ille beatæ patriæ hæreditatem consecutus est meritis suis, ita definitione nostra id declarari æquum esse judicemus. Persuadet hoc nobis ejus vita per virtutes admirabiles, & generi humano salutares perpetuo traducta, & miraculis ante & post mortem editis divinitus illustrata. „ Hæc de Ignatio. Deinde gradu facto ad Xaverium, ita perrexit: „ Beati Xaverii virtus tanta fuit in aggregandis Deo nationibus, ut quod Isaïa dictum est, merito in illum transferre possimus: *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Xaverius enim tam longe lateque Evangelii lucem protulit inter gentes, ut usque ad extremum terræ, in Japoniam ipsam, ultimam orientis oram, Romanæ fidei nomen invexerit. Cum igitur in hunc admirabilem virum, vere Indiarum Apostolum, & vitæ sanctitas, & claritudo miraculorum, & populorum vota concurrant, illum inter sanctos referre consilium est. „ Huic Pontificis orationi secundissima approbatione consensus Senatus Apostolicus. Dies itaque est constituta ad IV. Idus Martias, qua die Ignatius & Xaverius, una cum Beatis Isidoro, Philippo, ac Theresia, Sanctis Christi Confessoribus solemniter adscriberentur. Peracta celebritas est religiose admodum, ac splendide, Romano more. Eam vero diem Societas, quippe sibi ex omnibus auspiciatissimam, singulari in posterum religione recolendam sumpsit. Et quia, secundum Deum, primas beneficii partes tulerant Gregorius Pontifex, ejusque fratris filius Ludovicus Ludovicius Cardinalis, præter preces & sacra pro iisdem per universam Societatem indicta, ne qua diuturnitas temporis memoriam talium meritorum obrueret, Mutius utriusque imagines, & solemnem ceremoniam formam coloribus adumbrari jussit prægrandi in tabula, quam ante vestiarium Basilicæ Farnesianæ collocavit, hoc titulo aureis litteris inscripto: *Ob relatos in Sanctorum nume-*

To. I.

X x

rum

3.
Vota Indiarum
pro canoniza-
tione B. Xave-
rii.

4.
Allocutio Pon-
tificis ad Car-
dinales de BB.
Ignatio, & Xa-
verio.

„ *Eccl. 45. v. 2.*

5.
Ignatius & Xa-
verius in San-
ctorum indice
referuntur.

rum Ignatium Loyola Societatis Jesu Fundatorem, & Franciscum Xaverium Indiarum Apostolum, Gregorii XV., & Ludovici Cardinalis Ludovici immortalibus meritis. Jam qua pompa Sanctorum vexilla, ut mos est, ex Basilica Vaticana ad adem Professorum delata fuerint, quibus latitiæ signis Societas Romæ parenti suo Ignatio, & collegæ Xaverio novos honores gratulari studuerit, dicere superledeo. Res enim longa, quanto jucundior ad spectandum fuit, tanto ad legendum esset molestior. Bullam, ut vocant, canonizationis non edidit Gregorius, morte prohibitus. Duas amplissimis conceptas verbis edidit ejus successor Urbanus VIII. anno sequenti, quarum quæ est de S. Ignatio, vitam omnem sancti viri per omnes virtutum heroicarum gradus ductam exponit, hisque concludit verbis, quæ panegyricum ingentem continent: *Vir vere quem præcegerat Dominus, ut eorum dux foret, qui portarent ejus sanctissimum nomen eorum gentibus & populis, & infideles ad veræ fidei cognitionem inducerent, ac rebelles hæreticos ad illius unitatem revocarent, suisque in terris Vicarii auctoritatem defenderent.* Alterius bullæ, quæ ad S. Franciscum Xaverium spectat, duæ sunt partes. Prima vitam Xaverii virtutibus, & rebus gestis inclytam breviter complectitur. Proferuntur apostolatus ejus, & vocationis divinæ signa, perspicua, donum linguarum, donum prophetiæ, & miraculorum, nec non virtutes evangelicæ quæcunque sunt illustrissimæ. Altera pars miracula recenset, tum quæ vivens, tum quæ vita functus edidit.

6.
Bullæ canonizationis, earumque sententia.

7.
Corpus Sancti Ignatii ex arca plumbea transfertur in marmoream.

Jacuerat hæc sacrum Ignatii corpus in templo domus professe, ad latus dexterum aræ maximæ, ubi nunc sepulchrum Ven. Cardinalis Bellarmini cernitur. At cum esset jam in eadem basilica sacellum ipsius nomini consecratum, non ea quidem magnificentia quam videre nunc est, sed tamen decens, amplum, & loci dignitate post aram maximam primum; visum Mutio Generali, non ultra relinquendum in loco non suo pretiosum pignus, sed ad proprium altare exportandum. Diem ergo translationi faciendæ statuit pridie Cal. Martias, antequam in sanctorum numerum referretur, duodecimam. Prius tamen quam ad sacellum transferretur, placuit sacrum corpus eruere ex loculo plumbeo, ubi annos jam triginta quinque custodiebatur, atque illud in arca marmorea decentius posthac custodiendum reponere. Illatus est ea die loculus in privatam Præpositi Generalis bibliothecam, clam omnibus, præter quam Mutio ipso, Patribus Assistentibus, & Secretario Societatis Francisco Sacchino, quem habeo hujus narrationis auctorem. Reducto operculo, pauca ex ossibus integra sunt inventa. Pleraque, seu vitio loci, sive aquarum affluxu emollita, ac pene colliquefacta, in quamdam coaluerant massam recenti calci haud abimilem. Intermixtæ cernebantur lacinia veli, quod iisdem olim tegendis adhibitum apparebat vetustate computruisse. Aderat separato loco lamella marmorea, litteris inscriptis indicans, quale ibi olim corpus fuisset conditum. Repertus etiam in extremo loculi repositus cumulus pulveris, ex ligno carie consumpto decidui, cum ejusdem materiæ frustulis: haud dubie residuum aræ lignæ, ex qua translatum fuerat beati viri corpus in plumbeam, anno præterlapso sacculi octogesimo septimo. Mutius beati parentis reliquias pie veneratus, suis ipse manibus quicquid ossium erat collegit, & in sinum urnæ marmoreæ composuit. Lacinias veli, & lamellam seposuit sibi, ut haberet quod largiretur nobilibus, & religiosis viris, Ignatii lipsana certatim flagrantibus. Quod reliquum erat ex ligno & pulvere, arcule cupressinæ inclusum est. Urna liquato plumbo, arcule confixis clavibus obferata. His silentio noctis peractis, vocantur campanulæ pulsu omnes domestici, pia supplicatio in templum indicitur. Præibat longo ordine religiosum agmen, singulis ardentem manu facem gestantibus, & sacros inter eundem hymnos alternis decurrentibus. Urnam tria Sacerdotum paria suppositis humeris deferebant. Ut ventum ad aram Ignatii, depositum tantisper est super eam ferculum ad venerationem familiæ in genua provolutæ, & sui parentis reliquias exoculari gestientis. Cui pietati ut factum est satis, in cavo altaris apte jam preparato collocantur simul, tum urna ex mar-

8.
Et sub altari proprio collocatur.

marmore, tum cupressina de qua dicebamus arcula, & foramen muro inædificato occluditur.

Rem alteram eodem anno Roma confectam vidit, quæ Societati accidit perhonorifica. Ante annos quatuordecim Claudius collegii Græcorum administrationem magis necessario, quam sponte dimiserat, impellente Protectore, collegii ejusdem Benedicto Justiniano Cardinali, qui cum esset a Societate alienior, effecerat ut nec honeste retineri, nec utiliter posset. Omnino id agere videbatur de industria Justinianus, ut nostri molestiarum impatientia locum desererent. Non modo alumnis ad se quacunque causâ confugientibus aures atque animos dabat, verum etiam in mores Patrum per ipsos inquirebat. Quæ illis Patres concessissent vetabat, quæ vetassent concedebat. Quibus rebus & moderatorum existimationem apud adolescentes imminuebat, & in exigenda disciplina auctoritatem plurimum debilitabat. Præterea œconomum totius rei domesticæ dispensatorem collegio imposuerat, cujus injussu ne Rectori quidem facultas esset vel minimi sumptus faciendi. Erat autem œconomi procacitas intolerabilis. Sæpe domesticas revisens officinas, rationes omnium quæ in quotidianos usus infumebantur ita exigebat a nostris, ut vix quisquam paterfamilias a vilissimis servulorum exigeret. Sæpe ministrorum, sæpe rectoris ipsius officia turbabat. Ob eas res Claudius, videns collegii gubernationem in dies difficiliorem fieri, & meliora desperans, cum bona Pontificis venia abduxerat ex illa domo socios, & curam, quam retinere salva dignitate non poterat, omnino abdicaverat. Nostris substituti pariter fuerant Patres ordinis Prædicatorum, & Congregationis de Somaſcha; sed curis inter se ita distributis, ut hi alumnos regerent, illi docerent. Quarto post anno, Somaſchis suo absolutis munere, soli manserunt in collegio Patres Dominicani, & usque ad annum proxime evolutum, quamdiu vixit Justinianus, utrumque munus gesserunt. At vix ille e vivis sublatus fuerat, imo animam trahebat adhuc in nulla vitæ spe, cum præcipui degentium in urbe Græcorum omnem movere lapidem coeperunt, ut popularium suorum seminarium rediret ad Societatem. Id urgebat supra cæteros Matthæus Carolus Archiepiscopus Iconiensis, qui & disciplinam Societatis memoria retineret, & collegium a pristino suo statu sensim defluxisse diceret. Idem haud paulo vehementius cupiebat Cardinalis Ludovicus. Sed quamquam apud eum summa hujus rei potestas esset, cunctabatur tamen respectu Venetorum, qui forte agre ferrent, adolescentes magnam partem sibi patriæ jure subiectos tradi in disciplinam ejus ordinis, quem olim ob causas aliunde notas ejectum e suis finibus, nondum in gratiam recepissent. Placuit proinde initio rectorem collegio imponere unum quemdam e populo Sacerdotem, nulli religiosorum ordini addictum, dimissis Dominicanis, qui, quantum audivi, procurationem illam non inviti deposuerunt. At post aliquot menses, urgentibus Cardinalibus Maphæo Barberino, & Marco Antonio Gozadino collegii Protectores, revocata est in contubernium Græcorum Societas, eique plena atque integra, cum disciplina, tum rei domesticæ administratio commissa. Per hanc occasionem eluxit Barberini erga nos benevolentia. Nam cum Mutius novum collegii rectorem renunciasset Patrem Eudoemonjoannem, hunc ipse Cardinalis 111. Cal. Novembris in magistratus possessionem induxit. Et commodum accidit anno proxime consecuto, ut Pontifex maximus crearetur sub nomine Urbani VIII. idem Barberinus: qui memor quid antea in eo negotio sensisset, non solum sententiam suam pristinam confirmavit, verum etiam leges prudentiæ plenas collegio Græcorum dedit, & Societatis Præposito Generali tantundem in eo tribuit juris, quantum habet in cæteris diversarum gentium seminariis, quæ Romæ cura Societatis administrantur. Sed ad acta hujus anni redeamus.

Dictum a nobis est alibi, quanta pietatis laude floreret in urbe Roma fodalitium oratorii, quod a Patre Gravita vulgus appellat. Charitatem ipsius, & benefaciendi studium hoc anno spectare præsertim licuit. Romam venerat manus

To. I.

X x 2

ho-

9.
Collegii Græcorum administratio a nostris dimissa.

10.
Societati redditur cum magno honore.

11.
Charitas pergruis impensa a fodalitio Patris Gravita.

hominum fere ducentorum, qui olim a Turcis Poloniae fines incurfantibus capti, & catenis onusti, per diu remiges egerant in una barbarorum triremi. Ut facta conspiratione triremi feliciter potiti, ut eadem ad fugam usi fuerint, ut demum ad oram tyrrheni maris appulerint liberi, longum esset exponere. Quod ad rem pertinet, urbem subierunt squalidi, seminudi, rerum omnium egentes, & adhuc retinentes diræ captivitatis notas. Miseris primo triduo cuncta liberaliter suppeditata fuerunt in communi xenodochio apud sanctissimæ Trinitatis: hanc enim benignitatem impendit regina urbium peregrinis omnium gentium, qui huc ex omni terrarum plaga perpetuo commeant. At triduo exacto, nihil certi habentes quo viverent, cogebantur stipem mendicare ostiatim, nisi aliunde subsidium affuisset. Affuit a piis oratorii, de quo dicebam, sodalibus, qui & hospitium illis, & alimenta, & nonnihil pecuniæ ad plures dies de suo præbuerunt. Eo non contentus P. Petrus Gravita, dedit operam ut æternæ quoque vitæ subsidia, quibus multo magis indigebant, abunde acciperent. Rutheni cum essent plerique de secta schismaticorum, ut in catholico dogmate diligenter erudirentur, curavit: nec vero frustra. Prodiere e collegio Romano juvenes aliquot ejusdem gentis & linguæ, perrexeruntque assiduo multorum dierum labore rudes homines instituere, donec omnes ad unum catholicam religionem professi sunt, ac piaculari confessione purgati, in sacello ipso sodalitiæ sacram synaxim catholico ritu celebraverunt. Bis hoc tempore ab æde oratorii ad basilicam S. Petri processere supplicantium ritu, Deiparæ interea Litanias lingua patria concinentes: quæ res tanto acta est concursu ac motu populi Romani, ut quacunque illi incederent, ægre sodales, qui pium agmen deducebant, sufficerent submovendæ multitudini, accipiendisque pecuniis, quæ in ipsorum subsidium offerebantur. Cum demum satis commorati viderentur in urbe sancta, curæ fuit Gravitæ ut discessus ipse hominum spectaculo esset non jucundo minus, quam pio. Abierunt bini longo ordine, beatæ Virginis rosarium ore ac manibus decurrentes. Ut extra portam Flaminiam ventum est ad villam, quam Julii Pontificis vocant, Gravita jussos discumbere paratis excepit epulis, quas oratorii sodales ministraverunt. Postremo vestibus pecuniaque donavit singulos, interque amplexus sodalium fausta illis omnia comprecantium, latos, ac præ mentis dulcedine collacrymantes in suam patriam dimisit. Laudavit vehementer Roma tam illustria christianæ benignitatis officia, laudavit post eorum reditum Polonia universa. Ipse Rex Sigismundus misericordiam suis impensam civibus Romæ cum magno verborum honore commendavit, fueruntque ex regni proceribus qui ea de re sodalibus oratorii gratias officiosissimis litteris persolverunt.

12.
Iidem ex schismaticis fiunt catholici.

13.
Ut demum in suam patriam dimissi fuerint.

14.
Fundatur collegium Viterbii.

Ante exitum ejusdem anni novum provincia Romana collegium habere cepit Viterbii, quæ urbs cum aliunde famam & celebritatem habet, tum ex eo præsertim, quod caput est amplæ provinciæ, quæ patrimonium S. Petri dicitur. Fundandum decreverat anno superiore civitas, constitutis pro censu annuo aureis mille, tamdiu de publico persolvendis, donec aliunde sua collegio pararetur. Nonnulla tamen acciderunt initio, quibus offensi cives parum absuit quin ab incepto desisterent. Nam cum Viterbium ad jus domicilii capiendum venissent PP. Philippus Rinaldus, & Paulus Cafatus, quia non statim litterarium ludum, quippe adhuc in angustiis ædibus habitantes, aperuerunt, multi obloquebantur palam, negantes alia vocatam fuisse causâ Societatem, quam ut teneram ætatem litteris ac pietate erudiret. Nec deerant qui, quod pacti fuerant de pensione, rescindendum putarent. At evenit hic quoque, quod vix non semper Societas experta est in novorum erectione domiciliorum, ut ex amarum odiorum radicibus dulciores exorirentur fructus benevolentia. Invento apto ad habitandum loco, & ad usum præsentis temporis accommodato, duo aperti sunt ludi latinitatis Sextili mense exeunte. Quo facta ita reconciliati sunt civium animi, ut appareret præteritam offensionem non aliunde ortum habuisse, quam ab opinione, quæ magna apud eos de nostris scho-

scholis erat. Cætera deinde prospero cursu fluxerunt. Accessit quadriennio post Scipionis Cardinalis Cobellutii insignis beneficentia. Vir enim indidem civis, & nostri nominis studiosus in paucis, ut patriæ simul, & Societati gratificaretur, novum collegium testamento heredem fecit. Qua hereditate, præter annum pecuniæ vestigal, pervenit ad Patres Viterbienses bibliotheca libris optimis referta: supellex in religiosis domibus maxime necessaria, & magno, si recte æstimetur, in pretio habenda. Eum propterea Cardinalem exinde collegium Viterbiense tanquam parentem, & conditorem suum habuit.

Multo operosior fuit extractio collegii, quod eodem anno Neapoli fundatum est sub titulo S. Francisci Xaverii. Rem satis longam & falebrosam, ego summatim expediam. Antè annos amplius viginti conflatum Neapoli fuerat ex Hispanis celebre sodalium a sacrosancto altaris mysterio nuncupatum, ut homines ejusdem gentis haberent in eo perpetua quædam, & opportuna præsidia ad salutem corporis animæque. Auctor sodalitiæ vel unicus, vel certe præcipuus fuerat noster Innicus de Mendoza, ex provincia Toletana ductus Neapolim, quia tunc Alvarus de Mendoza ipsius pater præfecturam obtinebat arcis Neapolitanæ, quam castrum novum appellant. Hinc sodales originem suam referentes ad Societatem, inter cæteras sodalitiæ leges sanxerant, ut ex eadem Societate perpetuo acciperent Sacerdotem, quo præside, & sacrorum ministro uterentur. Porro ad celebrandos statim temporibus sodalitiæ conventus, sacellum nescio quod sibi elegerant apud S. Jacobi, quod est insigne Neapoli Hispanorum nosocomium. Hæc sedes per diu cum placuisset sodalibus, displicere cœpit sub finem anni præteriti. Conveniunt, ac re in communi deliberata, novam sibi parare domum statuunt ad forum arcis, prope ædes regias: seu quod commodior esset locus, seu quod Hispanis frequentior. Illud simul decernunt, ut in nova domo tres quatuorve constituantur operarii Societatis, tum ad curam sodalitiæ, tum ad Hispanorum, qui frequentissimi in vicinia habitabant, utilitatem & commodum. His ita decretis, statim ære sodalitiæ coemptæ sunt opportuno in situ novæ ædes, parabantque jam nostri in illas, uti rogabantur, immigrare: cum ex adverso tam multa, tam ardua confurrexere, ut res prope confecta, nunquam plane conficienda videretur. Obstabat primo Prorex Antonius Zapata Cardinalis, deinde Archiepiscopus Decius Cardinalis Carafa, postremo aliqui ex ipsis Hispanis, qui novi consilii auctores fuerant. Omnes, quantum ferebatur, non tam ex intimo ipsorum sensu, quam nonnullorum cœnobarum sermonibus incitati, quibus nova Societatis sedes, eaque in proximo, agree faciebat. Verum omnia superavit feliciter P. Mendoza sodalitiæ caput, adnidente P. Carolo Sangro Præposito Provinciali. In expugnando prorege non multum negotii fuit. Edoctus enim, non quæstum a nobis in ea re, ut malevoli criminabantur, sed animarum salutem quæri, adeo mutavit sententiam, ut etiam lætari se diceret, initia operis tam salutaris in tempus suæ administrationis incurrere. Non ita facile flecti potuit præoccupatus falsis opinionibus animus Archiepiscopi. Tamen hic etiam denique, partim Nuncii Pontificii interventu (erat is Joannes Baptista Panfilus, postea Pontifex Innocentius X.), partim auctoritate & litteris Cardinalis Ludovisi, post longas & acres altercationes, agnovit jus Societatis, & vim prius intentatam abstinuit. Quo medio tempore, quia adversarii ad negotium intervertendum legem obtrudebant Clementis VIII., qua lege vetantur religiosi mendicantes nova quocumque in loco domicilia erigere, nisi consenserint aliæ ejusdem loci familiæ religiosæ, venere a Gregorio XV. litteræ, ut ajunt, in forma brevis, quibus ab ea lege excipiebantur domicilia Societatis, quæ certo ac proprio censu sustentantur. Disjectis in hunc modum primis obicibus, alter restabat ab Hispanis sane paucis, qui a cæteris dissidentes, retinendam contendebant priorem sodalitiæ sedem ad S. Jacobi. Hos adeo non licuit a sententia dimovere, ut Sangrus Provincialis non aliam invenerit litis præcidendæ viam, quam ut persolutum a sodalitiæ pretium pro nova domo, eidem redderetur, domum vero ipsam Societas suam

15.
Fundatoris titulum refert Scipio Cardinalis Cobellutius.

16.
RES NEAPOLITANÆ.
Ut inchoatum fuerit collegium S. Xaverii Neapoli.

17.
Difficultates ad illud disturbandum exortæ.

18.
Loco collegis fit simplex residentia.

fa-

19.
Que mox con-
vertitur in col-
legium.

faceret. Ita profus fieri placuit. Domum B. Xaverii titulo insignitam possedit exinde collegium Neapolitanum emptionis jure: sodales vero Hispani ad sedem pristinam S. Jacobi redierunt. Rebus ita compositis, omnique sublato obice, in ædes Xaverianas familia paucorum capitum fuit inducta, quam utpote sibi obnoxiam collegium Neapolitanum sustentabat. At novæ stationis exitere quamprimum tam uberes ac lati fructus, ut ejus utilitatem æqui pariter iniquique faterentur. Primo anno adolescentem in schola censebantur ultra centum. Ecclesia mirifice frequentabatur, cum ab omni vicinia, tum a militibus præfidiariis maxime. Audiendis per dies festos poenitentibus tres quatuorve Sacerdotes vix erant pares. Omnino magna in publicum utilitas promanabat. Jam ergo de his edocta Isabella Gironda, nobilis cum primis & pia femina, sortem pecuniæ non contemnendam obtulit, ut ex statione Xaveriana collegium fieret. Majorem paulo post summam in eundem usum attribuit Elvira de Monte nigro, mulier hæc etiam nobilitatis & pietatis laude plurimum florens. Utriusque tamen liberalitatem ita superavit Catharina de la Cerda Comitissa de Lemos, ut demum anno ejusdem sæculi vigesimo septimo fundati collegii titulum abstulerit. Nam cum vir ejus Comes Lemosius regnum Neapolitanum administraret eo tempore, cum sodalitiis, de quo supra dictum est, fundamenta fuerunt jacta, ut probaverat ipsa tunc majorem in modum illam institutionem, ita multo magis nunc probabat institutionem collegii, quod populo Neapolitano primum, tum suis etiam Hispanis magnas afferre commoditates intelligebat: atque inde mota est ut summam pecuniæ non exiguam, quam habebat Neapoli sepositam, operi perficiendo transcriberet. Quibus subsidiis brevi Xaverianum domicilium ad justii collegii magnitudinem adolevit.

20.
Collegium
S. Josephi in-
choatur Neapo-
li.

Hoc interea anno aliud inchoari collegium placuit in suburbio celebri ejusdem urbis, quod Chiajam vocant. Cœperat ibi a nostris excoli genus rude ac frequens piscatorum. Cum ad audiendum divinum verbum cives quoque non inculti convenirent, visum est eo in loco collegium institui posse sub invocatione S. Josephi. Ædes in hunc usum tradidit statim, sortem idoneam partim tradidit, partim promisit Julius Cæsar Guadagnus, honestus ex ordine scribarum civis, quem propterea Mutius Chiajensis collegii fundatorem usitato diplomate appellavit. Verum haud multo post accidit, ut fundator repentina rerum conversione fortunis fere omnibus eversus, ad summum inopiæ redigeretur. Re cognita, Mutius æquum censuit, ut illi sua beneficia Societas, ac vicissim ille Societati acceptos ab ea titulos resignaret. Sed non propterea collegium est dissolutum. Simul ac Guadagnus fundatoris titulo se abdicavit, successit in ejus locum P. Scipio Cossus, qui cum haud ita pridem ex opulenta familia, transgressus esset in Societatem, patrimonium suum collegio eidem stabiliendo addixit. Cossi beneficentiæ ac liberalitati libet opponere recordiam alterius, cuius tamen nomini justis de causis parcimus. Is ante aliquot annos mira precum assiduitate, multisque constantiæ documentis pervicerat, ut in Societatem vel invitis parentibus reciperetur. Adscriptus inter tirones, studio religiosæ perfectionis eminuerat. Manserat idem ardor litteris operanti. Quin hoc medio tempore parentem cum amisisset, ejusque hæreditatem crevisset, prædium satis amplum, relicti patrimonii caput, ultro collegio Neapolitano donaverat. Cum subito visus de contentione disciplinæ haud parum remittere. Captare quæcunque posset commoda, nugando tempus conterere, non silentii, non modestiæ leges custodire. Postremo, nescio quas obortas sibi religiones obtendens, scribit ad Præpositum Generalem, sibi ut prædii donationem remittat, quam rebus non bene perspectis agebat, ac parum prudenter factam. Id cum haud ægre impetrasset, statim per alias litteras missionem petit, & adeo quidem enixe, ac pervicaciter, ut invitum retinere visum non sit. Solutus ergo est voti religione. At vix annum vixerat apud se, cum poenas turpiter facti persolvit. Quadam hujus anni die, dum suum illud prædium invisit, jurgari coepit cum vicino propter duos stipites, quos sibi furto sublato contendebat. Ille verborum

21.
Infelix exitus
juvenis a Socie-
tate dilapsi.

rum contumeliam non ferens, tormento quod apud se habebat exprompto, jurgantem in ipso loco trajecit glande plumbea, ex quo vulnere miser paucis diebus interiit.

Per hæc nostris rei bene gerendæ materiam amplam exhibuit dira calamitas urbis Neapolitanæ. Civitatem premebat summa annonæ caritas, non tam anni sterilitate, quam incuria magistratum, qui serius quam oportuit conveniendum curaverant triticum ex Apulia. Malo remedium præsens non inveniebatur. Clauso enim tempestatibus mari, corruptisque assiduitate imbrum terrestribus itineribus, annonæ jam inferri non poterat ea copia, quam populus frequentissimus absumebat. Audiebantur propterea vulgi minaces voces, ac turbulentæ. Omnia ad seditionem spectabant. Re ipsa proletarii, quadam die Cardinalem Proregem magno agmine infecuti, parum absuit quin in suo sedentem curru lapidibus opprimerent. In hoc statu rerum sane difficili Patres, ad avertendas cœlestes iras, propulsandumque periculum civitatis, supplicationem publicam indixere. Supplicationi interfuere quotquot erant de Societate Neapoli, cum sodalitatibus ad domicilia singula pertinentibus. Interfuit civitas prope modum universa, omnesque uno agmine civium ordines processere sub suis signis, sublimem præferente crucem Præposito Provinciali Carolo Sangro. Inter eundem, aliqui nudatos humeros flagris diverberabant, omnes sanctorum invocationes cantu supplici decurrebant. Deducta est multitudo ex æde Professorum ad primariam urbis basilicam: ubi cum sederet in throno pontificali Archiepiscopus Cardinalis, ejus rogatu P. Carolus Mastrillus orator acer ac vehemens, ad concionem progressus, brevi, sed apta oratione ita peroravit, ut gemitus, & clamores ingentes excitaverit. Nondum hæc agi desierant, cum civitas fructum cepit pietatis suæ, ac tanto quidem gratiorem, quanto minus expectatum. Nam cum priore nocte usque ad meridiem pluvia large inundasset, eo nihilominus ipso die frumentatores magnam tritici vim in urbem invexerunt. Hoc vero magis visum Patribus novos addere populo stimulos, ut insisteret precibus, & iram Numinis propitiare pergeret. Decernitur, ut per aliquot continenter dies in æde Professorum publice proponatur sacra hostia: ut ante illam nostri assidue venerabundi consistant: ut mittantur per compita concionatores, qui plebem male feriatam ad orandum contrahant. Et quia precibus magnum momentum addunt eleemosinæ cum jejuniis conjunctæ, summo quoque sociorum consensu acceptum est consilium Præpositi Provincialis, ut donec laxaretur annonæ, nostris aliquid de quotidiano victu in communi detraberetur, quo egestati pauperum subveniri largius posset. Hæc sub anni initium acta, pie creditum est, civitati plurimum profuisse. At paulo post nuncius de Ignatio Xaverioque cœlestium cultu donatis mœrorem præterita calamitatis omnino deterisit. Aliæ indicuntur statim supplicationes, alia eduntur spectacula; non mœroris tamen, sed gratulationis & lætitiæ plena. Delatæ sunt per urbem Divorum effigies ea pompa, cui nihil neque ad splendorem, neque ad pietatem addi poterat: certante cum populo nobilitate, cunctisque in id civium ordinibus conspirantibus, ut celebritatem facerent quam ornatissimam. Pari ferme studio in reliquis regni urbibus novi sanctorum honores celebrati fuerunt. Verum Aquilæ in Vestinis atrox eventus lætitiæ publicam disturbavit, & in tragœdiam vertit. Convenerat cuncta nobilitas, ut Beatorum signa in triumphali curru constituta equestri pompa circumduceret per celebriores urbis vias. Pompæ curam ordinandæ susceperat Joannes Aloylius Pica, vir, cum generis claritate, tum prudentiæ fama suæ civitatis facile princeps. Et jam ex ejus præscripto equites in ordines distributi ingredi cœperant. Dum magistri partes exequitur accurate Pica, dum hunc veluti pro imperio admonet ut acceleret, illum ut contineat gradum; monentem unus quidam responso repulit contumaci, ac post aliqua ultro citroque asperius dicta, ferro appetiit. Eum Pica districto ferro strenue repellebat. Ecce autem in Picam impetum faciunt alii duo: quibus impar cum esset unus, gravi accepto vulnere, ex equo pro-

22.

Acta sociorum
Neapoli in magna
annonæ caritate.

23.

Lætitiæ signa
ob Ignatium &
Xaverium San-
ctorum cultu
donatos.

24.

Atrox eventus
in urbe Aquilæ.

lapsus est, illatusque continuo in proximam collegii ædem, inter manus nostrorum expiatis conscientiæ maculis expiravit. Ob talis viri tam acerbum interitum, cuncta signa lætitiæ sunt intermissa. Nostris vero casum per se factis gravem, graviolem fecit occasio.

25.
Mors & elogium P. Guiljelmi Levesquii.

At enim gravissima in primis, ac multum detrimentosa provinciæ accidentur domestica quædam funera, de quibus aliquid cursim hoc loco attingendum. Præcipuo elatus est lætu in domo Professorum Neapolitana P. Guillelmus Levesquius, gente Normandus. Is olim ex Gallia non migrasset Constantinopolim, dubium est utrum utiliora in ea missione gesserit inter Christianos, an atrociora a Mahometanis fuerit passus. Præter alia crudeliter in eum, & inhumaniter facta, constat exitiale illi toxicum a barbaris propinatum fuisse. Inde molestam contraxit paralytim, qua missionem laboriosissimam abrumpere, coactus est. Delatus Neapolim, ibi reliquam vitam posuit, minore quidem suo incommodo, sed non minore proximorum utilitate, cui potissimum in tribunali poenitentiae serviit usque ad extremum. Vir quippe magna opinione sanctitatis, atque prudentiæ, multorum conscientias moderabatur, ac totos sæpe dies audiendis confessionibus transigebat. Modestiam ipsius, charitatemque mirari nemo satis poterat. Venerationem homini conciliabant morborum curationes, quas identidem supra naturæ ordinem faciebat: in quibus tamen illum adhibere liquorem solebat, qui e sacris ossibus S. Nicolai Bariensis scaturit. Vulgo ferebatur mortuos aliquot ad vitam revocasse, atque unum nominatim Musciponti in Lotharingia, quod narratum videas licet in vita S. Nicolai per P. Antonium Beatillum scripta. Sed Levesquii præsertim celebrabantur crebra vaticinia, prædictionesque propheticæ, quas eventus nunquam fefellerit. Ut alia in hoc genere præteream, cum ante annos quatuor de suo ipse obitu sermonem intulisset, eo prorsus die se moriturum dixit, qui dies inuitatam, ac porro summam Societati lætitiæ esset allaturus. Alias se quidem, inquit, nihil cupere avidius, quam ut B. P. Ignatium videret inter sanctos adscriptum: sed non visurum nisi de coelo: tunc autem visurum, uti sperabat, cum maxime hæc lætitia inter coelites ageretur: tunc se novi accessionem honoris optimo parenti suo coram gratulaturum. Hæc sæpius, nec obscure dicta exitu affirmavit adeo exacte, ut quo prorsus die, ac forte ipsissima hora, qui Ignatius Romæ Pontificis maximi voce Sanctus appellabatur, ipse Neapoli expiraverit. Obiit igitur iv. Idus Martias, annum agens ætatis sexagesimum quintum, ab inita Societate trigessimum secundum.

26.
Mors & elogium P. Claudii Seripandi.

Levesquium secuti sunt Patres Claudius Seripandus, & Franciscus Mastrillus, viri illi etiam excellenti virtute, & annalium memoria dignissimi. Seripandus ortus prænobili stirpe, ac paternorum oppidorum in Samnio & Salentinis hæres, blandam sæculi felicitatem aspexit tanquam infidum & æstuosum mare, in quo multi miserum salutis æternæ naufragium faciunt. Portum itaque quæsit in Societate, ac Neapolim, ubi tirocinium poneret, recta contendit, insecis parentibus. Neapolitanus Provincialis, haud ignarus quanta ob eam rem tempestas esset excitanda, filium parentibus, licet contra pugnantem & obtestantem, reddidit ad dies quindecim, tentandum atque explorandum; ea tamen lege, ne durius eum acciperent, neve alio quopiam amandarent. Ubi adolescens in parentum fuit potestate, nihil ab his omissum ut mentem teneram averterent. Eam diu noctuque quater non cessarunt, adeo ut ad mediam usque noctem procella sæpe non intermissa desæviret. Cum nihil neque precibus, neque lacrymis impetraretur a fortissimo adolescente, includitur in cubiculum sine lumine, sine lecto, sine cibo: detrahuntur misello vestes: certa mors, aut æternus carcer denunciatur. Lætu beata sorte Claudius Deo ingentes agebat gratias, quod talia ipsius causa pateretur. At post paulo effugium opera fratris nactus, evolat in domum probationis denuo, utque iterum recipiatur impetrat. Sic procella superata, in optato portu placide conquevit. Provincialis enim de parentibus modeste conquestus, quod contra condi-

tio-

tiones acceptas filium tam male habuissent, evicit ad extremum ne diutius piis ejus votis obsisterent. Ab his initiis profecta P. Claudii Seripandi virtus majora in dies incrementa cepit. Ingenium, quo valebat acerrimo, eruditione tam multa, tam varia perpolivit, ut quidquid legisset aliquando, id in promptu haberet, ac velut in numerato. Italiæ urbes amplissimas frugiferis concionibus erudit. Panormi, & Neapoli sacras litteras diu explanavit, quodque docebat verbo, re præstabat. Assiduum & internecinum gerebat secum ipse bellum, neque arma religiosæ mortificationis, flagellum, tunicam cilicinam, jejunium, unquam deponebat. Sabbatis singulis, & pridie festorum B. Virginis, nihil fere sumebat cibi, frusto panis, & aquæ scypho sub vesperam contentus. Obiit Neapoli eadem sanctitatis opinione qua vixerat, *iv. Nonas Novembris*. P. Franciscus Mastrillus claris ortus natalibus Nolæ, & liberaliter educatus, post exactam cum innocentia laude adolescentiam, Romæ publicam tractabat rem, magna apud omnes fama integritatis, & pari apud Clementem VIII. Pontificem gratia: cum pertusus rerum humanarum Societatem elegit, ubi se totum divino obsequio devoveret. Qua mente ad nos venit, eadem perstitit usque ad obitum. Indicam peregrinationem initio flagitaverat. Ejus obtinendæ spe dejectus, labores Indicis pares exantlavit Neapoli, perrexitque usque ad extremum spiritum opus evangelicum facere, licet valetudine parum firma. Ille pauperibus in tribunali poenitentia quotidie adesse, ille apud virgines Deo sacras sæpissime concionari, ille semel intra hebdomadam fidei rudimentis imbueri plebeculam infimam: atque interim celebri præesse sodalitia, quod Neapoli ad augendum cultum Eucharistiæ S. Parens Ignatius instituit. Acerbissimis podagræ doloribus diu cruciatus, molestiam ut plurimum occultabat silentio; nisi quod interdum audiebatur, cum ultro se Deo feriendum offerret in hac vita, ne feriretur in altera. Ad extrema deductus, adeo non timuit mori, ut imo mortis nuncium gratulabundus exceperit, seque beatum dixerit, cui liceret in statu religionis vitam claudere. Adstabat lectulo germanus ejus frater fletu madidus. Flentem conspicatus Franciscus, bono esse animo jussit, monuitque ne gaudium migrationis suæ lacrymis funestaret. Fuerat in omni vita B. Virginis cliens & cultor eximius. Ejusdem moriens aspectum optabat flagrantissime, in eaque expectatione novissimum agonem ingressus, animam Deo reddidit pridie Cal. Julii. Tribus, quos hæcenus laudavi, Patribus merito est accensendus P. Philippus Firraus Cosentinus, de quo multa sunt in litteris provincia Neapolitana. Celebratur potissimum ejus adhuc adolescentis generosa & excelsa mens, qua opulentum patrimonium fratri natu minori transcripsit, ut paupertatem evangelicam sectaretur in Societate. Cunctis apud nos claruit virtutibus, sed miro præsertim studio erga Virginem Beatissimam, præter quam nihil amare, cogitare, loqui videbatur. Illum propterea moderatores Lauretum transmiserant, futurum inter celeberrimi illius templi administratos audiendis peregrinorum confessionibus destinatos, victurumque ibi jucundissime, quippe prope ædem olim Deiparæ hospitio consecratam. At post menses viginti circiter, omnes ministerii sacri partes egregie implentem Virgo beatissima ex domo sua terrena ad cœlestem, ut opinari fas est, evocavit v. Cal. Januarias, cum annum vitæ decurreret quadragesimum octavum.

Jacturam quoque non levem fecit provincia Sicula in P. Cæsare Cosso Messanensi, in quo uno exemplar omnium fere virtutum amissum est. Ex jurisprudentiæ palæstra, in qua magna cum laude versabatur, venerat in Societatem Cossus natu jam grandior, relicto honorum cursu, & spe ingentium opum abrupta. Qualis ab ipso tirocinio prodiret, vel inde colligi satis potest, quod biennio post, homo adhuc a sæculo recens, tironibus instituendis fuit admotus, gravissimumque illud munus ita gessit, ut partem de se opinionem multis partibus superaret. Ad alias deinde præfecturas traductus est, in quibus cum prudentiam probaret suam, & eximia quadam gubernandi scientia commendaretur, hujus rei gratia Aquaviva Generalis dignum duxit, quem ad

To. I.

Y y

pro-

27.
Mors & elo-
gium P. Franci-
sci Mastrilli.

28.
Mors & elo-
gium P. Philip-
pi Firrai.

29.
RES SICILIÆ.
Obitus & elo-
gium P. Cæsaris
Cossi.

professionem quatuor votorum admitteret, Duo præcipue Cossus sibi curanda statuerat in imperio. Alterum, ut in custodia domesticæ disciplinæ præiret exemplo omnibus. Alterum, ut suos sola duceret charitate, eorumque prospiceret, non modo incolunitati, verum etiam, quantum fas esset, commodis, & quieti: potestatis vero gladium vagina nunquam educeret, nisi coactus. Senferat, unum quemdam ex fratribus rei domesticæ adjuutoribus minus instructum esse ab interioribus indumentis. Indusium ipse sibi detraxit, ut eum tegetet. Erga se usque ad sævitiam austerus, somnum carpebat admodum brevem, ferreo flagro corpus quotidie cruentabat, cibo vesceretur parcissimo, eoque certis diebus incocto. Tot sponte susceptis afflictationibus accessit incommodum cæcitatibus, quam calamitatem toto biennio pertulit, ac tanta quidem oris animique tranquillitate, unum ut doleret, quod abstinere sacrificio cogereetur. Sed quia acceptus erat Deo, necesse fuit ut illum quoque, quemadmodum olim Tobiam, hæc probaret tentatio, quæ tamen non fuit perpetua. Panniculo enim, qui se pupillis offuderat, manu periti reducto, videndi facultatem recepit jam senior, & ad immolandi consuetudinem rediit tanto libentius, quanto illam ægrius intermiserat. Obiit VII. Idus Novembres, anno ætatis septuagesimo sexto, post initam Societatem trigesimo sexto. Vir semper laudati nominis, & hoc etiam bene de Societate meritis, quod in ipso aditu tirocinii domui Professorum Messanenſi mille quingentos aureos de suo patrimonio donavit. Mortui funus honestavit præsentia sua Senatus, & universa nobilitas Messanenſis. Virtutes laudatione publica celebrata sunt super mensam. Corpus plumbeo inclusum loculo, quod paucorum apud nos est, & seorsum a cæteris humatum. Multa Cossi invocato nomine, aut ejus reliquiarum contactu divinitus contigisse testantur litteræ, in quibus est, puellam cæcam, ad-moto oculis ejus indusio, lucem illico aspexisse.

30.
Inſigne bene-
ficium Angeli
Tutelarſis erga
quemdam ado-
leſcentem Meſ-
ſana.

Tradunt eadem litteræ de quodam adolescente inter Messanenſes non ignobili, quem præceps furor in certum interitum rapiebat, nisi miseratus ejus vicem cœlestis custos, meliorem illi mentem injecisset. Rem per se scitu dignam, & excitandam erga tutelares Angelos religioni in primis idoneam, nefas silentio tegere. Procefferat miser extra urbem solus, & nescio quibus stimulantibus intemperitiis, locum quarebat ab hominum aspectu remotum, ubi vitam & angores uno ictu finiret, deliberatum habens demittere se in cuspidem obverſi enſis, quo procul dubio trajiceretur. Dum properat, ecce tibi ex adverso occurrit venustissimæ formæ juvenis, ipsumque placide contuetur. Hæsit aspectu primo adolescens: tum vero maxime, cum suo se compellari sensit nomine, ac moneri ne porro progredereetur. *Quin age, inquit: adi mecum in templum Societatis Jesu. Ibi remedium invenies aegritudini tuæ multo opportunius, quam quod male volutas animo. Fac onera conscientie deponas apud Sacerdotem, & tranquillitatem præſtinam recuperabis.* Hic mirari magis adolescens, ac secum reputare, unde nam innotuiſſent ignoto juveni sua consilia: penitissimo inclusa sinu, & nulli mortalium indicata? Divinum aliquid subesse non dubitans, dat illi se comitem viæ, quæ erat ad ædem nostram expeditissima. Toto viæ spatio cœlestis comes de divinis rebus sermonem conseruit, ea præſertim subjiciens, quæ admissorum criminum memoriam & detestationem excitarent. Perrexit illi non nihil in aurem demittere tunc etiam, cum in sacram ædem ventum est. Quare Sacerdos, e tribunali poenitentiae adolescentem conspicatus quasi cum aliquo colloquentem, cum præter ipsum appareret nemo, fatuum judicavit. Verum ubi peccata confitentem audivit, totamque edoctus est rei uti gesta fuerat seriem, non fatuum, sed felicem plane, fortunatumque appellavit, qui Angeli tutelaris præſenti ope, ac præſidio ſingulari, fuisset ex utroque interitu corporis animæque ereptus. Beneficii memorem juſſit esse, & impetrata venia divulgandi ad publicam utilitatem facti, latum dimiſit. Quæ dum agebantur, ne de Angelo dubium eſſet, ignotus ille juvenis repente videri delierat.

Sociis interea provinciæ Venetæ mœrorem ingentem asperfit obitus Raynutii Farnesii, Parmæ ac Placentiæ ducis, viri belli ac pacis artibus clarissimum, in quo nostri ereptum sibi patronum fautoremque rerum suarum amantissimum doluerunt. Farnesiorum Principum notissima est erga nostrum ordinem benevolentia. Initio ducto a Paulo III. Pontifice, qui Societati nascenti dedit ut inter religiosos ordines censeretur, diceres in fovenda ornandaque Societate certasse homines ejus familiæ omnes. Raynutius, de quo modo loquimur, nulli de sua gente in hoc studio concessit. Quibus documentis suam erga nos voluntatem optimus Princeps exprompsit, longum esset per partes exequi. Id, nobis etiam tacentibus, diferte loquuntur collegium nobilium adolescentium, & omnium disciplinarum academia, quæ duo cum instituisset Parmæ, eadem curæ nostrorum commissa voluit: primum quidem in universum, alterum vero ex parte maxima, ita nimirum ut, exceptis juris & medicinæ magistris, reliqui professores peterentur de Societate. His non contentus Princeps munificentissimus, testamentum hoc anno condens, proventus ab avo suo Octavio collegio Parmensi attributos auxit in tantum, ut alendæ familiæ capitum omnino centum abunde essent; nec pro tam insigni beneficentia aliam imposuit legem, nisi ut collegii Patribus adderetur certus juvenum numerus ex iis, qui philosophiæ ac theologiæ studiis operantur. Scio equidem, tam opulentæ doti multum post ipsius mortem fuisse detractum: verumtamen per eum non stetit, ne perpetuo integra servaretur. Quid memorem munera vere regia, quibus missionem Sinensem juvit? Quid crebras pecuniarum largitiones aut nostris, aut nostrorum deprecatione aliis factas? Vivere desiit III. Nonas Martii, cum paulo ante signasset syngrapham, qua mille aureos collegio Parmensi donabat. Hoc actum ejus novissimum fuit: mox enim oppressus copia phlegmatis defecit, morte quidem repentina, sed non improvisa, quippe solitus ab annis pluribus conscientiam quothebdomadis confessione purgare, & divina sumere. Sunt deinde alia benevole erga nos ac benigne facta, si res ipsas inspicias, leviora, si animum viri ac dignitatem, haud minus spectabilia, quæ non committam ut oblivione deleantur. Illud quantum est, quod cum nostris ad colloquium admittebat, exuere principem quodammodo videbatur: adeo se illis facilem ac familiarem præbebat! Sape ex ducali suo palatio in collegium adventabat quasi privatus, diemque solidum apud nostros ponebat, illum deinde diem affirmans sibi ex omnibus fuisse jucundissimum. Sapissime ex aula in collegium afferbantur xenia, & exquisitiora quadam edulia, Principis benevoli, ac de nobis perpetuo cogitantis indicia non minus certa, quam grata. Sed insignis in hoc genere ad memoriam temporum fuit annus sæculi decimus quartus. Eo anno cum obtinuisset Raynutius, ut triennalia provinciæ comitia celebrarentur Parmæ, nullum benignitatis genus adversus Patres, qui ad ea convenerant, prætermisit. Præter magnam pecuniæ summam ad ipsos alendos collegio missam, præter utensilia illorum in usum omnia suis impensis parata, templum Societatis, in quo per eos dies conciones sacræ, aliæque litterariæ exercitationes habendæ erant, insignibus ex aula sua peristromatis ornari jussit. Prior ipse, humanitate plane singulari, salutatum Patres venit in collegium: nec minori honoris significatione excepit venientes ad se; Societatis in laudem, deque amore erga illam suo multa coram testatus, quæ deinde toto congregationis tempore quotidianis ferme beneficiis luculentius ostendit. Ante quam Parma discederent, diem condixit Patribus, quo secum omnes in aula epularentur. Cumque eidem convivio adhibendos censuisset urbis Episcopum, & nobilissimum inter Romanos dynastas virum Appium de Comitibus Poli ducem, sic accumbere convivas voluit, ut primus post Episcopum locus occuparetur a Visitatore, secundus a Provinciali, ipse tertius consideret, post eum Poli dux, ac reliqui deinde Patres eodem ordine, quo in conventu federant. Epularum magnificentiam supervacaneum esset exponere. Comitatem benignitatemque Principis vel ex eo æstimare licebit, quod prior ipse bibens fausta omnia com-

To. I.

Yy 2

pre-

31.
RES PROVINCIAE
VENETAE.
Mors Raynutii
Parmæ ducis,
ejusque libera-
litas in Societa-
tem.

32.
Documenta
quædam bene-
volentia nobis
ab eodem exhibita.

precatus est Societati, & Præposito Generali. Remotis mensis, earum ornamenta omnia, & quidquid intacti superfuit, deferri iussit in collegium per triginta bajulos, qui ter minimum ultro citroque commearunt. Addidit pro numero Patrum capsulas totidem, foris eleganter depictas, intus multiplici varietate xeniorum refertas, quibus apophoretis singuli donarentur. Postremo Patres rebus ad iter omnibus instructos, suaque humanitate captos, ac plane devinctos dimisit. Sed quæ sunt hujus anni prosequamur.

33.
Fundatur collegium Ravennatense.

Petrus Artenghus, nobilis inter Ravennates civis, hoc anno moriens, honorum suorum heredem ex asse reliquerat nostram Societatem ea lege, ut collegium Ravennæ conderetur intra triennium. Erant proventus hereditatis operi perficiendo impares: eaque propter Provincialis P. Marius Garzonius, metuens ne collegium male fundatum cito ruinam duceret, moras interponebat. Eas ut præciderent urbis Sapientes (id nomen supremo Ravennatenfium magistratui) certam pecuniæ summam conductis e populo ludimagistris tribui solitam, tanquam partem dotis collegio, cujus erant appetentissimi, assignaverunt. Quo subsidio cum videretur stare collegium posse, venerunt Patres Ravennam, instantibus civibus, eorumque vota promoventibus Cardinalibus Alexandro Ursino Æmiliæ Legato, & Aloysio Cappono Ravennæ Archiepiscopo: quibus admittentibus, nonnullæ aliæ difficultates complanatae fuerunt. Nam cum Artenghus nostri juris ignarus supremis tabulis edixisset, ut nostri, adita hereditatis possessione, quina singulis diebus sacra pro ipso facerent; Ursinus a Gregorio Pontifice impetravit, ut illis sacris substituerentur suffragia fundatoribus collegiorum a nobis persolvi solita, præter ea, quæ in collegiis exercentur ad publicam utilitatem, ministeria. Et quia Patribus nec certa erat parata domus, nec aedes in qua res sacras obirent; donec his ædificandis pecunia colligeretur, Cardinalis Capponus scholarum aulas nostris Professoribus in suo seminario permisit, domum ei proximam ad habitandum accommodavit, trecentos demum aureos in sumptus domestici instrumenti numeravit. Rebus ita compositis, doceri coeptum est hoc ipso anno labente, & initium collegio Ravennatenfium factum, primo ejus rectore renunciato P. Nicolao Zucchio, qui jam ante habitabat apud legatum Cardinalem, eratque illi a confessionibus. Et res quidem ad menses aliquot feliciter processere, probantibus operam Societatis civibus usque adeo, ut magistratus nomine publico gratias egerint Rectori, gratulatique sint Patribus, quod spem de ipsis conceptam non aquassent modo, verum etiam vicissent. Verum hanc serenitatem foeda tempestas parumper obscuravit anno sequenti. Nonnulli nobis parum benevoli (qui si pauci sunt in ampla civitate, non exiguo apponendum est lucro), boni publici obtentu Societatem in invidiam vocarunt; quasi tenerior ætas longeminus nunc proficeret sub disciplina nostrorum, quam cum civitatis judicio deligebantur publici ludimagistri. Visitandum ajebant collegium Societatis, retinendum jus, quo civitas inspicere identidem scholas publicas consueverat. Convocantur magistratus, tres deliguntur censores, & in collegium immittuntur, ut de scholarum statu cognoscant. Eos rector exceptit quidem humaniter & benivole, verumtamen ab aditu scholarum exclusit, negans eam rem ferre se posse, quæ esset ab instituto nostro alienissima. Effertati inspectores, concitant populum, jaçant probra in Societatem. Nihil factum est propius, quam ut collegium dissolveretur. Alii conducti jam fuerant professores, nostris substituenti. Jam Præpositus Generalis rectori mandaverat, ut remissa civitati pensione pro ludimagistris assignata, scholas occluderet. Verum iussa ne faceret rector, Sapientes intercessere. Perspecta enim puerorum apud nos discentium pietate, modestia, & optima in litteris institutione, facile intellexerunt, accusatam temere ab invidis Societatem fuisse; datisque ad Mutium cum magna Patrum commendatione litteris, consilium ejus valida deprecatione inverterunt. Populus post hæc tanto cariorem habuit Societatem, quanto iniquius vexatam fuisse cognovit. Aloysius vero Capponus Cardinalis Archiepiscopus, Romani se-

34.
Excitatur contra illud procella, & componitur.

feminarii memor, ubi educatus olim fuerat, & Societatis curam in adolescentum institutione perspexerat, aliquanto post seminarium quoque suum, & puerorum lectissimum numerum nobis tradidit erudiendum.

Eodem tempore collegium Faventinum, quod undecim ante annis ortum erat, lento, sed felici progressu adoleſcebat. Condi illud iusserat nobilis civis Alexander Pafius, ratus Deo gratum in primis, & patriæ utilem hunc usum divitiarum suarum fore. Liberos enim habebat nullos, quemque decreverat fortunarum suarum hæredem scribere, frater uxoris suæ Alexander Paganellus, ipſo nequidquam repugnante, paupertatem apud nos profiteri maluerat. Denos jam annos exegerant nostri Faventiæ, tanta omnium approbatione, ut urbis Episcopus Emilius Valentius Cardinalis, in relatione de statu suæ dioceſeos ad Pontificem miſſa, præcipue laudaverit operam Societatis. At adæm sacram nondum ibi habebamus, niſi male materiata ac ruinosam, angustam præterea, denique a domicilio media via diſiunctam. His de cauſis viſum Mutio collegium ad tempus dimitti, ut proventus in ædificium novi templi impenderentur. Egrediebantur cives absentiam Patrum; cum tamen iuſta videretur absentia cauſa, permiſerant circa dimidium anni præteriti ut abirent omnes, excepto uno ad curam ædificii relicto. Obiit inter hæc fundatoris vidua Maximilla Paganella; ejuſque obitu cum rediſſet ad collegium hæreditatis pars tertia, cujuſ illa fruſtu utebatur, novus urbis Episcopus Julius Monterentius, Senioresque (ideſt ſummi Faventinorum magiſtratus) rogarunt vehementer Præpoſitum Generalem, ut ſaltem Sacerdotem alterum, & ludimagiſtrum collegio redderet. Æqua poſtulantibus morem geri Mutius iuſſit. Nec civitas tam promptam obſequendi voluntatem indonata reliquit. Cum enim penes ipſam eſſet arbitrium penſionis annuæ trecentorum circiter aureorum, quæ in uſus pios eroganda erat, eam per quinquennium cives templo Societatis ædificando addixere.

Dum ſic provinciæ Italiæ, ut dictum eſt, augebantur, Auſtriaca lætiores in dies fruſtus ex benevolentia Cæſaris capiebat. Illud in primis lætum, quod pace tandem compoſita cum Bethlemio Gabore, pacatiſque Hungaris heterodoxis, tertio receptum eſt collegium Tyrnavienſe in Pannonia. Nam quamquam Cæſar ob temporum difficultates coactus eſt pacem non modicis jaſturis redimere; quod tamen perduelles poſtulabant, ne Patribus Societatis liceret eſſe in Hungaria, id conſtantiffime repulit. Ita ſexto poſt menſe quam Gabor noſtros expulerat Tyrnavia, eoſdem legati Cæſaris in poſſeſſionem ſui collegii reſtituerunt. Redeuntibus excepit univerſa civitas ea lætitia, quam æſtimare promptum eſt ex moerore, quo abeuntes dimiſerat. Nullum gratulationis argumentum eſt prætermiſſum. Et quia in veteri domicilio milites Gaboriani, præter nudos parietes, nihil reliqui fecerant, Patrum inopia liberaliter ſubvenerunt Archiepiſcopus Strigonienſis, civiumque non pauci. At ecce tibi paulo poſt nova repente trepidatio. Firmata pace, poſcebat in matrimonium Gabor filiam Ferdinandi Cæſaris. Cum non impetraret, efferatus repulſa barbarus iterum arma movet, iterum cum infeſto milite Hungariam ingreditur, occupatiſque primo impetu urbibus montanæ regionis, poſtremo etiam Tyrnavia potitur. Actum videbatur de collegio Societatis. Rector in tam præſenti diſcrimine, dimiſſa propere Viennam familia reliqua, quinque tantummodo Sacerdotes retinuerat ſecum, ne ſuam rem abdicare ſponte videretur, expectabatque per momenta ſingula, quo victoris ferocia prorumperet. Verum hac irruptione Gabor Societatem magis conterruit, quam afflixerit. Noſtrorum ſane neminem violavit. Quin poſt bimeſem, metu Cæſarianorum coactus ſe recipere in Daciam, duos ſecum abduxit Patres, ut ſacrorum miniſterio recrearent catholicos ſibi ſtipendia facientes, eoſdemque ſub initium anni proximi remiſiſt incolomes. Nec poſt hæc Hungariam amplius invaſit. Multo nocentiores experta eſt Societas milites, quos eodem tempore Gabor immiſerat in Moraviam. Copiæ nimirum ex omni hæreticorum colluvione concretæ, furaces, im-

35.
Ortus & progressus collegii Faventini.

36.
RESPROVINCIA
AUSTRIACÆ.
Recuperatur
collegium Tyrnavienſe.

37.
Occupatur de-
nuo Tyrnavia,
a Gabore, ſed
collegio incolu-
mi.

38.
Noſtrorum da-
mna & labores
in Moravia Bo-
hemiaque.

39.
Nostri in illis
provinciis Paro-
chos agunt.

40.
Fundatur col-
legium Judem-
burgi.

41.
Primordia col-
legii Iglaviensis.

42.
Gitzini colle-
gium exhibetur
Societati.

impia, & in omnem prædandi licentiam effusa, dum regionem igni ferroque vastant, nullam occasionem vexandæ Societatis neglexerunt. Præter damna, fortunarum collegio Olomucensi illata, procuratorem collegii P. Joannem Urbanum graviter sauciarunt, cum eoque repertum Fr. Vitum Visman crudeliter interfecerunt. Cæterum in Moravia Bohemiaque nostri, post tot belli clades intrepidi, & in omnes unde exciderant sedes recepti, eodem quo antea studio reducendis ad Ecclesiam hæreticis insudabant. Plusquam millenos semestri spatio lucrati sunt Patres collegii Novodomenfis. Olomucenses ab Episcopo circummissi, civitates duas cum aliquot pagis ab hæresi vindicarunt: latiusque progressus esset eorum labor, nisi inopia Parochorum coacti fuissent functionem ejus muneris in se recipere. Qua in re præverterunt nostri mandata Romanæ Congregationis de propaganda fide, quæ cum audisset de mira Sacerdotum paucitate, qua Moravia pariter ac Bohemia laborabant, significavit Præposito Generali, rem gratam sibi facturos homines Societatis, si in illis regionibus curias pastoribus destitutas suscipere administrandas. Nihil moræ futurum respondit Mutius, ne sacræ Congregationis jussa fierent. Sed cum ea de re scripsisset ad P. Joannem Argentum provinciæ visitatorem, responsum accepit, factum ultro esse quod Cardinales mandabant: ac præterea institutas esse per Bohemiam Moraviamque missiones quindecim, ad curanda rei catholicæ vulnera, & belli vestigia abolenda.

Præter antiqua domicilia de hostium manibus recuperata, aliis de novo Societas aucta est in provincia Austriaca. Judenburgi, quæ urbs sita prope amnem Muram olim erat inter Stiria maximas, par nobile conjugum Balthasar Baro de Tonhausen, & Ursula ab Hollenegg, collegium nobis communi sumptu fundaturi, pecuniam congruam, & certos in hunc usum redditus addixerant. Reliqua erat deliberatio de loco, ubi collegium poneretur. Commodum accidit ut Patribus Augustinianis, absumpto flammis cœnobio, solum superesset templum, cum quibusdam monasterii parietinis. Hæc illi cum parati essent justo pretio dividere, cum iisdem transegerunt fundatores, emptoque fundo, Societatem in ejus possessionem anno exeunte induxerunt. Vertebat idem annus, cum Adolphus comes ab Althan, ejusque conjux Elisabetha Stotzingia, vix dum ad fastigium perducto collegio Cremsbensi, adjecere animum ad aliud constituendum Iglavia. Urbs ea est in parte Moravia soli occidenti obversa, qua Austriam, & Bohemiam attingit. Pii quos dixi conjuges, cum statuisent collegium Societatis ibi condere, datis communibus ad Mutium litteris, censum idoneum obtulere, recepto in se onere curandi proprio are ne quid in ea civitate Societas desideraret, sed socios alere posset amplius triginta. Quo tanta illorum munificentia spectaret, referam propriis ipsorum verbis, quæ sunt epistolæ postrema: „ Societati (inquiunt) nullam imponimus obligationem, præter eam quam præscribunt ejus constitutiones, juventutem scilicet ut instituat, & sese consuetis ministeriis in salutem proximorum impendat. Omnia ad majorem Dei gloriam, quam nobis in hoc opere, & in omni vita, actionibusque nostris propositam habemus „. Non potuit Mutius tam pia vota differre, planeque libens donationem admisit. Tamen non nisi tertio post anno fundatores Societatem Iglavia constitutam viderunt, postquam tertium ei collegium collocaverant Znoymæ, pariter in Moravia. Quid tam promptam illorum voluntatem retardaverit, incertum. Suspicio, civitatem adhuc hæresi pertinaciter adhærentem, admittendæ Societati contumacius repugnasse.

Gitzini quoque collegium est conditum cum opima dote: sed dubitavit aliquandiu Societas utrum illud admitteret. Est Gitzinum in territorio Regino-Hradecensi oppidum magnitudinis non pigendæ. Loci ditionem, sive hæreditario jure, sive Cæsaris beneficio obtinuerat Comes Albertus Walsteinus, inclytus ille & notissimus belli dux, qui elatus deinde favente fortuna, vocatus est in suspicionem affectati Bohemia regni, proditusque a nonnullis conjugationis suæ conscis, manu sicarii confossus est. Is Gitzini possessionem adeptus, pri-

primam curarum intendit ad reparandum ibi catholicæ religionis cultum, sub prioribus dominis fere ex toto collapsum. Ut autem optima mentis cogitata perficeret, consilium cepit excitandi collegium Societatis, cui geminum parabat adjungere seminarium, alterum instituendis nobilium liberis, alterum in quo ad Sacerdotium adoleverent centum ejusdem regionis pueri in tenui fortuna nati. His perficiendis rebus censum offerebat amplum, vel æstimatione, vel numerato solvendum, ut Societas mallet. Aptas præterea ædes, suppellectilem tum sacram, tum domesticam, quæcunque demum usui sunt prolixè pollicebatur; nec pro tam munifica in nos liberalitate amplius sibi postulabat, quam quæ collegiorum fundatoribus tribui solent. Nemo hæctenus in ea provincia, secundum Austriacos principes, nobiscum egerat liberalius. Nihilominus Provinciali Præposito P. Romero rem mature discutienti persuaderi non poterat, esse e re divina, ut Societas illam donationem acciperet. Dubitandi causa ipse locus, quippe non regia civitas, sed baronalis, ut vocant, & privata familiæ obnoxia. Ufu enim ipso constabat, collegia in istiusmodi oppidis toparcharum posita, nunquam esse satis firma: cum sæpe catholico domino succedat hæreticus, aliaque multa enascantur incommoda, quibus implicata Societas parum admodum possit ad salutem animarum proficere. Re ad Mutium delata, censebat ipse remittendum esse Walsteinio cum magna gratiarum actione beneficium. Et jam in eam sententiam perscripserat P. Argento visitatori. Verum is reputans, cujus periculi sit viro potenti, ac benefacere volenti obistere, priusquam imperata faceret, gravissimos quosque Patres in consilium ad deliberandum adhibuit. Visum omnibus, quod tam splendide offerebatur, minime respuendum. Nam præter offensionem viri tota Bohemia clarissimi, quæ difficile vitaretur, Gitzini, tum propter loci naturam, tum propter incolarum accolarumque frequentiam, majorem copiam nostris hominibus utiliter laborandi fore, quam pro ratione privati municipii. Hæc per litteras edoctus Generalis, negotium omne permisit arbitrio Argenti, qui de consilio Ferdinandi Cæsaris collegium recepit. Ita sub finem anni labentis sedem Gitzini posuerunt aliqui Patres, omnium præfide P. Valentino Coronio, qui nuper collegii Pragenis administratione perfunctus fuerat. Urbem ingressis commissa est ædes curialis, pulso Parocho lutherano. Collegii tamen nomen novo domicilio non accessit, nisi post biennium.

At principum Austriacorum quanto erat major potestas, tanto profusorem hoc tempore beneficentiam experti sumus. Carolus Austriacus, frater Ferdinandi Cæsaris, Episcopus Uratislaviensis, quo tempore ardebat bellum Bohemicum pulsus episcopatu suo, variisque periculis agitatus, voverat se collegium Societatis daturum Nissæ, si suam in sedem restitueretur. Restitutus est post Friderici Palatini cladem, de qua dictum est alibi, & votum hoc anno exsolvit. Est Nissa Silesiæ civitas, ad fluvium cognominem sita, populo frequens, negotiatione dives, artibus exulta. In hac urbe domicilium cum haberent Crucigeri, qui crucem rubeam cum stella ejusdem coloris pro insignibus gerunt, eos Episcopus alio transtulit, ipsorum vero ædes tradidit Societati, addita dote non exigua. Præter hæc, duodecim alumnos e clero sumendos, quibus alendis ipse necessariis sumptus suppeditabat, curæ Societatis ac disciplinæ commendavit. Glacii, quod pariter nobile est oppidum in Silesiâ, ante bellicos tumultus florebat collegium Societatis: sed illud omnino dissipaverant perduelles, ædibus solo æquatis, ecclesia partim diruta, partim in equile commutata, fundis frugiferis vastatis penitus, atque consumptis. Restitutum ex parte est liberalitate ejusdem Caroli Austriaci. Sed quod Princeps optimus movebatur præterea, ut collegium istud fundaret ex integro, perficere est prohibitus immatura morte. Idem parabat nova Societatis collegia instituere Uratislaviæ, & Glogoviæ, quæ tamen ob eandem causam aliis perficienda reliquit. Carolo non concedebat neque studio religionis, neque in nostrum ordinem benevolentia Leopoldus ejus frater, Episcopus Passaviensis. Fundaverat

jam

43.
Dubitatur apud nos an sit admittendum.

44.
Vincit sententia quæ admittit censet.

45.
Fundatur collegium Nissenfense.

46.
Restituitur ex parte collegium Glacense.

47.
Residentia Trauakirchenfis instituitur.

48.
Ferdinandi Imperatoris beneficia erga Societatem.

jam collegium Societatis Passaviae. Eidem ut necessariam dotem conficeret, addixit hoc anno monasterium Traunkirchenſe, a consecratis Christo virginibus ordinis S. Benedicti desertum Lutheri tempore. Donationi consensit Pontifex Gregorius XV., atque exinde in oppido Traunkirco confederunt e nostris quinque ut in residentia stabili, quæ collegio Passaviensi fuit attributa. Sed utrumque fratrem, Carolum, ac Leopoldum, ut opum magnitudine, sic & munificentia longissime superavit Ferdinandus II. Imperator, quem Societatis nostræ parentem amantissimum appellare non dubitamus. Ut ea tantum beneficia commemorem, quæ pertinent ad tempus præsens, hoc ille anno collegium Pragenſe auxit censu annuo non exili. Zagrabienſi male dotato, certam pecuniæ vim ex ejus provinciæ vectigalibus quotannis pendi jussit. Olomučenſe a perduellibus multa passum levavit plurimum, translata in ejus dominium, toparchia satis splendida, & opulenta. Eidem restituendum curavit domicilium alumnorum ecclesiasticorum, quod hæretici in monetæ cudendâ officinam converterant. Brunensem probationis domum pene de novo fundavit, assignato in ejus dotem pago, & oppido, cum annuis utriusque fructibus. Collegio Leobienſi subsidium annuum attribuit ex vectigali fodinis imposto. Huc demum spectant amplissima jura & privilegia, quæ nostris academiis Pragenſi, & Viennensi contulit. Verum ut collegium Viennense Cæsaris beneficio coaluerit in academiam ejusdem urbis, paulo diligentius exequamur.

49.
Offensio Viennensis academiciæ contra scholas collegii nostri.

Jam ante Ferdinandus I., hujus de quo scribimus Ferdinandi avus, idemque collegii nostri Viennensis fundator, duas theologicæ scientiæ cathedras Societati commiserat in sua Viennensi academia, easque nostri ita acceperant, ut simul alias totidem ejusdem facultatis cathedras haberent apud se in suo collegio, præter philosophicas, aliasque. Post annos circiter quadraginta, ut frequentior esset theologorum schola academica, deserant eam nostri scientiam in suo collegio tradere. Quo permotus exemplo Melchior Klefelius Viennensis Episcopus, & academiciæ Cancellarius, contendere cœpit ut occluderent similiter scholas collegii philosophicas, neque hanc facultatem alibi, quam in aulis academiciæ docerent. Erat id non solum molestum Professoribus, quibus bis in diem itandum esset deinceps ab ædibus collegii ad academicas, verum, etiam discipulorum institutioni perincommodum. Tamen cum idem vellet Matthias Cæsar, idem Paulus V. Pontifex imperaret, coacta tunc quidem fuit Societas morem gerere. At non diuturnum fuit incommodum. Klefelio paulo post libertate & opibus exuto, Matthia autem e vivis sublato, iterum nostri cum assensu novi Cæsaris Ferdinandi II. scholas philosophorum transfulerunt ex gymnasio academico ad collegium suum. Pupugit ea res academicos. Cum mutare quod factum erat auctoritate principis nequirent, cœpere nostros alumnos ab honoribus litterariis excludere, neminem donantes laurea, nisi apud eos philosophiæ studia confecisset, quo non paucos a nostris scholis avertabant. Exorientem inter duo gymnasia discessionem non æquo ferebat animo Ferdinandus. Multa ut eam tolleret agitanti, placuit denique collegium Societatis cum urbis academia conjungi, quod tamen salvis utriusque juribus fieret. Conjunctionis formulam descripsit collegii nostri rector P. Gulielmus Lamormainius: quam cum æque nostri, ac Duumviri a Ferdinando delecti comprobassent, Cæsar edito decreto ratam habuit, datoque Duumviris negotio ut rem quamprimum exequendam curarent, ad Imperii concilium profectus est Ratisponam. Summa decreti (ut alia levioris momenti præteream) hæc erat. Donari Societati aedes gymnasii archiducalis, ut novum sibi collegium in illis poneret, futurum exinde membrum corporis academici. Ex quatuor quibus academia constaret facultatibus, duas deinceps futuras penes homines Societatis, theologiam scilicet, & quas artes vocant: theologiam tamen divisam ut antea fore inter ipsos, aliosque Professores: artes non nisi ab ipsis tradendas. Et quia lex est academiciæ, ut sexto quoque mense ex singulis in orbem facultatibus eligatur communibus suffragiis universi gymnasii rector; quoties hic assumendus erit

50.
Decernitur conjunctio collegii cum academia.

ex artibus, rectorem collegii ipso jure, & absque ulla electione futurum gymnasii quoque rectorem. Denique decanum artium semper futurum de Societate, nec vero alium, quam quem ipsa libere designaret. Hæc duo postrema, ideo sic constituiebantur, quia artium magistri, ut dictum est, semper futuri erant ex nostris. Decretum ut promulgatum est, multæ statim audiri ex adverso querelæ. Academici, in cæteris consentientes, ferre pacate non poterant imminui sibi jus eligendi rectoris, & decani. Decreto itaque intercedere pacatam, appellare Cæsarem, parendi necessitatem deprecari. Cum Cæsar abesset Vienna, nec res ad rationes utriusque partis amice componi posset, interim Duumviri nostros in corpus academiam cooptatos pronunciant, nemine omnium, quantum ad hoc, refragante; ædesque academicas Societati mancipio tradunt. In eas immigrarunt cum magna celebritate nostri professores ix. Cal. Decembris, eademque die theologi Societatis, itemque philosophi, & rhetorica, poeticaque magistri suas singuli cathedras occupaverunt, ac docere cœperunt. Classes grammaticorum aliquanto serius aperta sunt, quia deerant adhuc iis accipiendis aula.

Hæc acta Viennæ, nec expectato Præpositi Generalis responso. Rem quippe urgebat Cæsar, nec visitator Argentus dubitavit, quin Mutius rata esset habiturus omnia. Verum is cætera comprobans, quod de supremo academiam magistratu decretum fuerat, id vero negavit probari a se posse. Plures occurrerant causæ, ob quas alienum putaret ab homine Societatis ejusmodi magistratum. Illa tamen præcipua, quod rector Viennensis academiam ex privilegio Maximiliani Cæsaris in eo dignitatis gradu censetur constitutus, ut magnis æquari principibus videatur. Statis per annum temporibus prodire solet in publicum cum ingenti comitatu & pompa, & in aede urbis primaria sedens, secundum ab Imperatore locum obtinet. In hæc porro tanta honoris luce spectari hominem religiosum, id Mutius a nostris moribus alienissimum existimabat. Quare Argento præcepit, ut muneri nimis splendido cederet in perpetuum nomine Societatis, videretque magis, an ejus impetrari loco posset, ut scholæ a nostris administrandæ, in iis quæ pertinent ad disciplinæ modum, eximerentur omnino a potestate externi rectoris. Jussa fecit Argentus. Cæsar, colaudata nostrorum modestia, cessionem admittit. At simul deliberare cœpit, si qua posset nostris suam docendi rationem integram liberamque præstare, sine cujusquam injuria. Apparebat id fieri nullo modo posse, nisi fixum maneret decretum antea factum, ut artium decanus semper esset de Societate. Magna quippe est in re scholastica ordinanda decani auctoritas, & scholarum quietem turbare, si velit, potest. Pugnabant contra academici, æquum non putantes se illius magistratus eligendi jure, & spe obtinendi spoliari. Post plures ea de re congressus, inventa demum concordiam formula, quam nostri æque & academici pronis animis acceptarunt. Non unum est decani munus. Præter curam scholasticæ rei, judicia exercet, tum de controversiis juris, tum de criminibus scholasticorum. De hac forensi jurisdictione non admodum laborabat Societas: unum postulabat, ut liceret nostris libere scholas sibi commissas regere suo more. Visum ergo posse utrinque convenire, si relicto academicis jure eligendi per suas vices decani, qui judiciorum potestatem exerceret, reliqua cura rei scholasticæ permitteretur prodecano, quem Societatis Præpositi designassent. In hanc sententiam itum est summo utriusque partis consensu. Quo demum controversia est omnis composita, & novo Cæsaris decreto collegium Viennense in celeberrimam ejus urbis academiam denuo cooptatum. Hæc tota negotii, uti gestum est, series, hic exitus. Non ignoro equidem, asperiora quædam pendente adhuc causa contigisse. Sed ea ego consulto prætermisi, ne memoriam rerum odiosarum sine causa excitarem.

Finita cum academicis controversia, alia nobis supererat cum quibusdam cœnobitis fortasse gravior, de qua non dicerem, nisi res multorum usurpata sermonibus, & litteris tradita gravem Societati conflasset invidiam, cui propul-

To. I.

Z z

fan-

51.
Decreto intercedunt academici, & quare.

52.
Academiam præfecturam Mutius dimitti jubet.

53.
Quo pacto controversia composita fuerit.

54.
Ferdinandus II. quoddam ædificium nobis attribuit Viennæ.

sandæ fatis, puto, erit totius negotii causas, & progressus evolvere. Domum alendis nobilium liberis ædificaverat Viennæ Maximilianus Imperator, ab illorum quos dixi cœnobarum domo pariete tantum intermedio discretam. Scholam provincialem appellabant: quæ cum plures annos frequenti adolescentium convicium florisset, Matthiæ temporibus ad summam paucitatem erat redacta. Ut minima sui parte habitabatur amplum ædificium, facile tunc impetrarunt a Matthia finitimi cœnobarum, ut certam ejus portionem in suos usus decerpent, precario tamen utendam, redhibendamque Cæsari, simul ac ipse, aut aliquis successorum eam reposceret. Incidit interea conjunctio collegii nostri cum academia, de qua dictum est supra; per eamque occasionem Ferdinandus Cæsar, præter ædes academicas, scholam quoque provincialem addidit Societati, omnem attribuens nobis adolescentium in ea conventuum curam. Donatio quantumvis justa ægre fecit cœnobarum, qui viderent ad priores angustias cœnobarum sibi esse redeundum. Ne tamen redire compellerentur, consilium inierunt quale videmus interdum in bello usurpari, nec sine successu. Antequam in novi fundi possessionem Societas induceretur, aliam scholæ provincialis partem occupaverunt, excitato prope muro, quo pars furtim intercepta a reliquo ædificii corpore discluderetur. Erat tunc Ratisponæ Ferdinandus: rei nihilominus per litteras certior factus, misit illico Duumviris academico negotio præfectis mandata, ut scholam omnem provincialem curarent Societati tradendam. Quibus jussa facientibus, P. Gregorius Rumerus Provincialis eandem a legato Cæsaris possidendam accepit, ejusque claves rectori Lamormainio tradidit. Actum id pacate admodum, ac nullo strepitu, postredie Nonas Februarii. At enim pars ædium, quam cœnobarum occupaverant, erat nobis impervia, nisi paries intermedius dirueretur. Vim facere non audente Lamormainio, rediit die postero cum cæmentariis minister Cæsaris, eumque se coram percurrere iussit. Hic vero vehemens oritur altercatio. In ipso molimine accurritur ex toto cœnobio cum ingenti fremitu: tollitur inconditus clamor, vim iniquam fieri, monasterii septa perfringi, violari sacrum Deo locum. Talia vociferantibus minister jus, & mandata Cæsaris opponebat: nec mei est operis referre, ad quam verborum asperitatem ventum sit, animis utrinque irritatis. Quod ad rem pertinet, in illa acri concertatione nostrorum nemo verbum fecit; nisi quod Lamormainius uni cœnobarum ardentius eum incessenti modeste respondit, Cæsaris negotium agi, non Societatis. Perrexit interim minister inceptum opus urgere, donec in conclavia omnia aditum patefecit, & totam domum nostris utendam tradidit. Scio, de hoc negotio longe alia fuisse vulgata, tum Romæ, tum per universam late Germaniam. Rem ego ita retuli, ut exstat in domesticis monumentis, quæ tamen vera esse ipse contentio exitus persuadet.

55.
Ædificii partem
intercipiunt ali-
qui cœnobarum,
sed frustra.

56.
Vim adhibentes
vi coercentur a
Cæsare.

57.
Imperator suam
declarat esse
causam Societa-
tis.

Nam, ut cætera ejusdem argumenti absolvam, cœnobarum post hæc asseribus, aliisque repagulis aditum de quo lis erat denuo obstruxerunt, scholam provincialem in fundo olim suo fuisse ædificatam contententes. Proponebat Lamormainius, ad fovendam inter duos ordines charitatem, ut haberent illi quidem ædium partem, quam a Matthia accepissent; veruntamen alia nunquam ipsis concessa abstinere. Nunquam adduci potuerunt, ut tam æquas concordia leges admitterent. Ulterius ventum est. Imperator, ut dissidium ex bono & æquo finiret, concesserat illis denique dimidium fere spatii de quo certabant: sumptum præterea ad extruendas in eo cellas liberaliter erogabat, modo ut quiescerent in posterum. Non quieverunt. Ausi sunt parietem, qui pro limite monasterii statuebatur, vix ædificari cœptum deturbare semel, iterum, ac tertio; nec vim abstinuerunt, nisi cum ad muri custodiam Cæsar manipulum balistariorum collocari iussit. Tunc demum compressi nonnihil, mitigati que fuerunt. Quod tamen licuit, actionem adversus nos instituerunt apud tribunum, quod excelsi regiminis vocant. Cum iudices pronunciasent, petitioribus in illa causa actionem non esse contra nos, medius advenit Pontificis nuncius, ut

ut litem mutua partium consensione componeret. Id enimvero gratissimum fore sibi professus est Lamormainius: negavit tamen integrum esse Societati de ejusmodi negotio transigere injussu Cæsaris, qui eam causam diceret, non Societatis esse, sed suam. His auditis, adit Cæsarem Nuncius: rogat, ut cum bona ipsius venia liceat sibi componere controversiam inter Jesuitas, & illos cœnobitas exortam. Cui Ferdinandus: *Quorsum huc, inquit, obtruduntur Jesuitas? Meum est negotium quod agitur: mecum bonis illis cœnobitis res est, siquidem convellere donationem a me factam student.* Quæ cum subirato similis, & cum aliqua vocis contentione dixisset, ægre tulit Nuncius: nec dubitans ita locutum principem instinctu nostrorum, multum contra nos querelarum fudit, & Romam usque transmisit. Hæsit interim huic allisa vado causa, nec per annos viginti quinque ultra progressa est: manente in possessione tranquilla eorum ædium Societate, & delectum in iis numerum adolescentum educante. At demum cœnobitæ aliam inierunt negotii conficiendi viam, & sane planiorem breviorisque. Deserta nimirum lite, & forensi strepitu, amice egerunt nobiscum, ut illam domum dimitteremus. Se, ajebant, ad talem numerum excessisse, ut angustissime habitarent. Possè convictores in alium locum traduci, neque se dubituros domum illis aptam parare, & siquid interesset, numerato solvere. His conditionibus haud difficiles nostri se præbuerunt; acceptaque in usum seminarii domo idonea, & numeratæ pecuniæ florenis quinque mille, vicissim illud ædificium cœnobitis poscentibus dimiserunt. Sed ad ordinem temporum redeamus.

Provincia Poloniæ nihil nobis hoc anno magnopere memorandum exhibet, præter funus Patris Simonis Wisocki, in quo virum de publica re optime meritum, & religiosarum virtutum exemplar numeris omnibus absolutum desideravit. Natus erat Wisockus in oppido Russiæ, cui Curzangio nomen, ex familia nobili & opulenta. A puero ad pietatem formatus, nequaquam deinde sibi adulto persuaderi passus est, ut militiam, quod consanguinei valde suadebant, consecraretur: sed ubi primum per ætatem licuit, nemine omnium consilii sui præmonito, sacris ordinibus se iniciandum curavit. Nec ita multo post una cum Petro Scarga Canonico Leopolitano Romam venit, ipsius exemplo Societatem sola sibi fama tunc cognitam amplexurus. Romæ a B. Francisco Borgia in tirocinium receptus, eo exacto humanis divinisque litteris operam dedit, ac tandem Sacerdos inauguratus in patriam ad faciendam divini verbi fementem rediit. Quæ ibi pro cultu divini nominis, & proximorum salute gesserit, nullis explicari verbis possit. Exstant etiam nunc Posnaniæ, Lublini, Viliñæ, alibique nosocomia Wisocki industria studioque excitata: ut nihil de hominibus dicam prope innumeris, quos aut concionibus publicis, aut privatis alloquiis ab errore ad veritatem, a flagitiis ad poenitentiam honestatemque vitæ traduxit. Profectus in Sveciam cum serenissima Catharina Joanni Regi desponsa, conscientiam ejus rexit per annos continenter octo: simul aulam universam sibi virtute modestiæque devinxit, imprimisque ut regius princeps Sigismundus, qui fuit postea Poloniæ Rex hujus nominis tertius, catholice, ac pie institueretur curavit. Nec vero in aula de spiritu aulico quidquam traxit: non ambitione inflatus, non opum aut commodorum illecebra tactus: a simulatione autem & assentatione alienus in tantum, ut siquid interdum in regina minus probaret, id illi sine ambagibus, ac sacerdotali prorsus libertate objectaret. Romam post hæc rediit, audiendis popularium suorum confessionibus destinatus in S. Petri: qua in urbe quidquid habebat vacui temporis utiliter collocans, libros plures, & varios, sed pii argumenti omnes, Polonice vertit, ut patriam alienis opibus locupletaret quodammodo. Regressus demum in Poloniam, dum emeritam senectutem Cracoviæ non otiosus transigit, permolestis calculi & stranguariæ doloribus tentari cœpit, quibus toto biennio patientissime toleratis, finem vivendi ac patiendi fecit pridie Idus Junii, annos natus undecoginta. Elatus est incredibili civitatis concursu, certaruntque e populo multi, ut ex

To. I.

Z z 2

ejus

58.
Componitur lis
post annos vi-
ginti quinque.

59.
RES POLONIÆ.
Obitus & elc-
gium P. Simonis
Wisocki.

ejus reliquiis aliquid ad venerandum decerperent. Sæpe Deum O. M. precatus fuerat, sibi ut viventi contingeret B. P. Ignatium videre sanctorum factis adscriptum, idque paulo ante obitum divino munere est consecutus.

60.
RES PROVINCIÆ
RHENANÆ.
Bellorum clades, & pericula.

Provinciam quæ Rheno assidet conflictaverunt hoc anno clades belli variæ, multumque periculosa. Nam postea quam ad Pragam debellatum est eo pralio, quo fufum profligatumque exercitum Friderici Palatini vidimus, Ernestus Mansfeldius dux protestantium qui contra Cæsarem arma sumpserant, accepta clade ferocior, magnas contraxit latronum verius quam militum copias, quibus succinctus prædas ubique agere circa Rhenum, & pecunias civitatibus imperare non cessabat. Cum Spirensis episcopatum, & proximam Bavariæ partem omni belli clade vastasset, transmissis Rheno pervasit in Alsatiam, & Hagenoenses aperire sibi portas coegit. Aperuerunt; ea tamen lege, ut acceptis centum florenorum millibus, innoxius discederet cum exercitu. Ille conditionem admisit: at homo nullius fidei, Hagenoa potitus, multo majorem exigere summam obtentu nescio quo coepit, quæ cum non statim solveretur, urbem contra fidem pactorum occupavit, præsidio imposito. Priusquam hosti se permitterent Hagenoenses, rector collegii nostri P. Henricus Roestius, reputans vetus Mansfeldii odium erga Societatem, & ferociam victoris timens, deserendum censuerat domicilium; distributisque clam per nobilium domos plerisque sociorum, sacra supellectili partim occultata, partim apud amicos deposita, unum reliquerat ad custodiam rei domesticæ famulum in collegio. Recepto Mansfeldio, effudit se in omnem partem impiorum militum furor. Non sacris ædibus, non aris, non celestium imaginibus parcitum. Latrocinii, ac sacrilegiis miscbantur omnia. Nostri tamen præcipue quærebantur. Audita sunt Mansfeldii ipsius voces, cum diceret, curæ sibi fore, ut quotquot laterent in urbe Jesuitæ, quamprimum prodirent in publicum. Nihil dubitans, quin latebrarum esset conscius famulus, quem ad collegii custodiam relictum dicebamus, eum prius ingentibus promissis tentat, expressurus indicium loci, tum quo delitescerent Patres, tum ubi rem sacram, & cætera majoris pretii defodissent. Silentem interrogari per tormenta jubet. Cruciatum est dirum in modum, quæstione sæpius repetita: quod tamen ex eo quærebatur, exsculpi nullo modo potuit. Hinc famulo tam probatæ virtutis & fidei, quamdiu vixit, collegium Hagenoense necessaria subministravit, hanc deberi viro mercedem putans, cujus silentio servati fuissent ab impiorum prædonum manibus sacri calices pixidesque, & tam præfenti periculo Patres erepti. Nam ad Patres quod attinet, se ad necem quari sentientes, re cum paucis amicorum deliberata, fugæ consilium ceperunt, & clam urbe egressi, alii alio incolumes evaserunt. Quo tunc modo collegium Hagenoense dissipatum est.

61.
Deseritur collegium Hagenoense. Mira fides cujusdam famuli.

62.
Fœdus principum protestantium contra Cæsarem.

63.
Duci protestantium deditur Paderborna.

Multo luctuosior fuerat sociorum Paderbornensium clades, nisi eam intra paucos menses melior fortuna reparasset. Post accisas Friderici Palatini res in Bohemia, multi in Germania ex potentioribus protestantium consenserant in societatem armorum, obtentu quidem ut Hispanos ex Germaniæ finibus pellerent, re tamen ipsa, ut bellum pro Palatino gererent contra Cæsarem. Fœderi se adjunxerant reges Angliæ, Sveciæ, & Daniæ. Porro Daniæ Rex exercitus fœderati dux renunciatus, cum suscepisset belli administrandi curam, legaverat sibi Christianum e ducibus Brunsvicensibus, qui de nomine episcopatus præter jus fasque occupati, vulgo dicebatur Alberstadiensis. Primos belli impetus sensere Julienses, quam tetrarchiam Alberstadiensis, pulsus Hispanorum præfidiis, ex magna parte occupavit. Contrafacto deinde exercitu in territorium Paderbornense, omnia incendiis & rapinis fœdabat. Conterriti cives mittunt ad eum legatos, ut acceptis viginti quatuor millibus nummorum imperialium, agro & urbi parcat. Ille viribus ferox, elatusque successu rerum prospero, non munera, non preces admittit, nullas audire conditiones velle: unum poscere, ut præsidium quod habebant militum urbanorum dimitterent statim, & duas equitum suorum turmas intra urbem reciperent. Quamvis dura hæc,

hæc, & indecora essent, tamen Paderbornenses, ne vim extremam experirentur, necessitati cesserunt iv. Cal. Februarii, dearmatoque milite urbano, Alberstadianos intra moenia acceperunt. Ante illam diem, cum conditiones dedendæ urbis agitentur, P. Hermannus Bavingus collegii nostri rector ex sociis, quos habebat circiter octoginta, plerosque in tutum emiserat. Quinque fuerunt Sacerdotes, quos manere cupientes cogere noluit ut exirent, ipsorum arbitrio permittens, ut ex præsentis rerum statu consilium caperent. Omnino illi manendum sibi censuerunt, ne miseræ civitati in rebus tam afflictis deessent. Milites Alberstadiani, statim atque in urbem recepti sunt, occupata collegii nostri janua, quinque ipsos Patres in unum conclave, tanquam in carcerem, contruserunt, ac ne cui liceret inde pedem efferre, custodiam apposuerunt. Adest post biduum ipse dux Christianus, qui cum hospitium sibi parari jussisset in ædibus Jesuitarum, putabatur velle cum suis hospitibus clementer agere. Opinionem istam confirmare visus initio. Patres eximi custodia statim jussit, tantum accepta a primoribus civitatis fidejussione, neminem nostrorum urbe discessurum injussu suo. Sed hanc qualemcunque clementiam immane quantum mox postulatorum acerbitate corruerit. Denunciat Patribus, nisi intra dies quatuordecim numeraverint sibi nummorum imperialium viginti millia, collegium, omniaque ejus bona flammis absumptum iri. Excusare Patres inopiam suam, deesse sibi facultatem inveniendæ pecuniæ dicere. Princeps immitis ad sexdecim primo, deinde ad decem tantum millia descendit; veruntamen mortem, & morte atrociora est comminatus, si pergerent de hac summa minuenda amplius verbum facere. Oblata sunt millia nummorum quatuor, partim ab amicis emendicata, partim mutuo sumpta. Non acquievit. Coactus tertio post mense Paderbornam relinquere Hispanorum metu, secum nihilominus victos detinuit Patres loco pignoris, & catenis onustos raptari post se jussit in Eisfeldiam. Quod exemplum crudelitatis tantum terrorem incussit reliquis de Societate, ut quocumque ille adventaret cum exercitu, nostri diffugerent. Cum ergo Eisfeldiam suo more populabundus percurreret, Heiligenstadio, quod est regionis caput, dilapsi sunt propere nostri, & mox etiam Hildesio Turingiæ oppido. Sic illa duo collegia Societatis deserta, & militum direptionibus permixta, ab interitu proxime abfuerunt.

Sed protegentibus bonam causam superis, brevi libertatem victis, & exulibus reditum peperit insignis Catholicorum victoria. Joannes Tillius, & Gonzalus a Corduba, ille Bojorum, hic Hispanorum dux, cognito hostium itinere, conjungunt vires, parati fugientes insequi, atque acie certare. Confederat Alberstadiensis prope Hoestum, oppidum in ditone Moguntina, occupatisque locis natura & manu munitis, tutum se ab incursu hostium putabat. Eodem catholici duces castra transferunt. Atrox conferitur pugna. Dux protestantium, post magnam suorum occidionem coactus terga dare, plenus cladis & ignominia fugatur. Capto omni bellico instrumento, quinque nostris Sacerdotibus, de quibus supra dicebam, demuntur vincula. Quale odium Alberstadiensis profiteretur contra Apostolicam sedem, & nostram Societatem, ex ipsis ejus vexillis colligere licuit. Duo præcipua inveta sunt, quorum in altero depicta visebatur tiara Pontificis de coelo fulminibus impetita: in altero pilei clericales erant, cum adjecto lemmate: *Amicus Dei, Jesuitarum inimicus*. Jam vero, dempto hostium metu, redierunt ad sua domicilia nostri, quæque haud ita pridem deserta fuerant collegia Paderbornæ, Heiligenstadii, & Hildesii, iterum frequentari coeperunt. Paderbornense tam multum attriverant hostes, ut pristinus alumnorum numerus sustineri nisi longo post tempore non potuerit, exhausta prorsus annona. In ea tamen calamitate solatio fuit, nihil periisse de domestica bibliotheca sane nobili, & locuplete. Atque eam quidem asportare decreverant scelerati prædones, jamque omnem librorum copiam in cistis composuerant: sed coacti celeriter urbe excedere, in ea trepidatione cistas inopia vehiculorum reliquerunt. Novissime sub initium Augusti receptum

est

64.
Ejus ferities
contra quinque
ex nostris.

65.
Deseruntur col-
legia Heiligen-
stadianum, &
Hildesienſe.

66.
Exercitus pro-
testantium pro-
fligatur.

67.
Singulare
odium Episcopi
Alberstadiensis
erga nos.

68.
Redeunt nostri
in sua collegia.

69.
Recuperatur
etiam collegium
Hagenoense.

70.
Marchio Dur-
lacensis prælio
vincitur a Cæ-
sarianis.

71.
Marchia Baden-
sis redit ad ca-
tholicum prin-
cipem.

72.
Gulielmus
princeps Baden-
sis Societatem
vocat.

73.
Badæ, & Et-
lingæ nostri la-
borant utiliter.

est etiam collegium Hagenoense. Accedente enim cum infestis signis Leopoldo Archiduce, suum inde militem Mansfeldius deduxit. Rediére statim Hagenoam quinque sociorum; sed ædes collegii adeo vastatas invenere, ut inutiles omnino ad habitandum essent. Dum illæ reficiuntur, nostros hospitio excepit vir amantissimus Societatis Bartholomæus Bilistein: cui benignitati accedente, publica liberalitate Senatus, sublevata celeriter sunt rei domestica angustia, & intra eundem annum suus collegio numerus restitutus.

Tot Casarianorum victoria, non modo pristinas Societati sedes restituerunt, sed nova etiam domicilia, aliosque ad excolendum populos aperuerunt. Inter tetrarchas, qui pro Palatino conjuraverant contra Ferdinandum, præcipuas sibi partes sumpserat Georgius Fridericus Marchio Durlacensis. Hunc Tilius temere exultantem assecutus in agro Vimpinensi ad Necarum amnem, commisso prælio fudit fugavitque, pluribus ex ejus exercitu interfectis, captis mille ac centum; impedimentis omnibus occupatis. Jam vero tam insignis victoria Badensem quam vocant marchiam catholicæ religioni simul, & Societati aperuit. Sed hujus rei narratio paulo altius est repetenda. Quæ Badensis Marchia dicitur, regio est porrecta ad dexteram Rheni, inter Brisgoviam, ducatumque Wittembergensem. Regionem ab antiquissimo tempore possidebat inclyta Badenium familia, divisam tamen inter duos ejusdem familiae ramos. Facta divisio fuerat ante annos fere centum, quo tempore cum in duas propaggines secta esset Badenium principum domus, altera Badam obtinuit, aviti patrimonii caput, cum potiori parte provinciæ: alteri Durlacum oppidum cum parte reliqua cessit. His diu finibus imperitaverant principes Badenses, & marchiones Durlacenses: donec circa annum proximi sæculi nonagesimum Ernestus Fridericus Durlacensis, hujus de quo modo diximus Georgii frater, tutor datus Eduardo Fortunato Badenium principi adhuc impuberi, pupilli ditionem sibi vindicavit. Decessit post paulo Ernestus, & luctuoso quidem, si vera narrent, funere. Ajunt enim, cum magnificam sibi villam extrueret in quodam Divi Benedicti coenobio (Gotsviam appellabant incolæ), vidisse noctu adstantem sibi S. Benedictum cum suarum regularum libro, atque his ab eo vocibus fuisse increpitum: *Si hunc habere volebas locum, ejus regulam seroare debueras* quibus dictis, & ipsa coelestis viri specie, addunt, magnis terroribus agitatum fuisse principem, nec multo post misere extabuisse. Utcunque sit, Ernesto Lutherano successit Georgius Fridericus, pariter Lutheri addictus, tenuitque utramque Badensis marchiae ditionem usque ad pugnam Vimpinensem. Tunc utramque perdidit. Gulielmus autem, Eduardi Fortunati filius natu major, principatum sibi successione jure debitum recuperavit. Potitus rerum Gulielmus, ut erat princeps eximie catholicus, nullam curarum habuit potiore, quam ut restitueret in sua provincia cultum catholicum, cujus nec vestigium usquam supererat. Omnia quippe Romanæ fidei monumenta sustulerant Durlacenses. Sacerdotes, & religiosos expulerant, aras & templa foedaverant, omnia demum moverant, ut ibi sola regnaret, & radices ageret superstitio Lutheri. Illud præ cæteris edixerant, ne quis liberos extra patriam mitteret erudiendos in scholis Societatis, neu quis ullum cum Jesuitis commercium haberet. Ipsi cauponibus, si ultra unam noctem nostris iter agentibus tectum præberent, gravem multam proposuerant. Gulielmus ergo ut collapsam religionem repararet, contraria sibi legenda putans vestigia, primum omnium expetiit operam Societatis, duosque ad se mitti curavit operarios e collegio Spirensi. Missi sunt Patres Philippus Zinnerus, & Martinus Frenaphelus, viri strenui ambo, impigrique. Prior Badæ substitit, alter Etlingam profectus est. Utrobique autem, defectis lutheranorum præconibus, statim aggressi sunt oppidanos, & proximos accolas instituere: quod cum naviter facerent, Deo propitio, fructum ingentem laboris & industriae suæ ceperunt. Nulla fere abibat dies, qua non aliquos in gregem catholicorum reciperent. Etlingæ Frenaphelus ante finem anni ad sacram Christi mensam admisit amplius octingentos. Majorem nu-

numerum post duos tantum menses admiserat Badæ Zinnerus. Sed amplior erat materies operis, quam cui sufficerent operarii duntaxat duo. Submissi itaque sunt alii tres, quos Princeps, licet in summa ararii difficultate, de suo alendos suscepit. Ac tunc primo nostri Badæ in propriis ædibus collocati fuerunt, & ad religiosæ familiæ normam regi cœperunt: nam antea Zinnerum Princeps voluerat esse apud se, & suæ quotidie mensæ adhibuerat. Nec multo post, novo addito sacerdote, initium est collegio factum, quod suo tempore ad justum statum assurrexit. Pueros pietate & litteris nostri informabant, civitatem concionibus excolebant, ad pagos & oppida circumposita excurrerant. Amplius quinque millia fuisse dicuntur, qui per eos hoc primo anno Badæ, & in proximo territorio catholicis se adjunxerunt. Sic ibi rem catholicam administrabant operarii Societatis.

Multo latiore interea agendi campum habebant Patres in utroque Palatinatu. Huc circa Aprilem anni labentis venerat Fridericus ipse comes Palatinus, ut patrum principatum, quo fuerat a Cæsare spoliatus, Batavorum auxilio recuperaret. At cum Tillio congressus, adversam expertus fuerat belli fortunam, pulsus cum ignominia, coactusque quidquid ad dexteram Rheni ripam obtinuerat victori permittere. Tillius, capta sede palatinatus Heidelbergæ, secum in urbem invexit Patres Personum & Agricolam, castrenses operarios, quos habuerat hætenus a sacris confessionibus, & concionibus. His paulo post addi curavit sociorum auxilia, traditisque ad habitandum ædibus, quas tempore hibernorum habuerant pro hospitio, stationem Societatis stabilem Heidelbergæ constituit. Subjecta erat statio rectori collegii Spirensis. Familiam fovebat & adjuvabat Maximilianus Bavariæ dux, alimenta illi præbens e suo ærario. Multos sane operarios requirebat urbis frequentia, & amplitudo. Pauci, sed egregii, instar multorum erant. Teneros adolescentes litteris, & vera fidei doctrinæ imbuebant, omnium ærumnas qua poterant ope sublevabant. Anno uno adultorum manum haud exiguam ad catholicas partes traxerunt. Mirabantur Heidelbergenses modestiam charitatemque nostrorum, & in eorum vitam curiosius inquirentes, falsæ esse profitebantur quæ de tota Jesuitarum natione a suis doctoribus audire consueverant. Paderbornæ interim, pulso uti diximus, Alberstadiensi, Ferdinandus a Bavaria Archiepiscopus Colonienensis diem præstituerat, intra quam protestantes aut religionem, aut solum mutarent, nostrisque negotium dederat, ut eos errorem dedocerent. Rem strenue agentibus operariis Societatis, ex omni lutheranorum multitudine novem tantum inventi, qui mallent patriam, quam superstitionem deserere. Cæteri meliora suadentibus paruerunt. Atque ita demum Paderbornenses, bonorum omnium incredibili gaudio, ab hæretica labe liberati penitus, purgatique fuerunt. Verum inter hæc Bambergæ, inter adolescentes Societatis scholas frequentare solitos, deprehensi quatuor, qui per syngraphas proprio conscriptas sanguine diabolo se manciperant, crebroque ejus congressu, & flagitiosa consuetudine utebantur. Longum esset dicere, qua miseri fraude in tantum scelus inducti, quibus modis comperti, qua demum confessi fuerint. Quod scire interest, intra collegium per aliquot continenter dies excepti fuerunt omnes, adjutique prædiis, quæ mali gravitas postulabat. Cum autem votum emisissent, se quotannis natalitia B. Parentis Ignatii sacrorum perceptione celebraturos, suum singuli chyrographum, quod diabolo nefarie tradiderant, recuperarunt. Ignatii beneficio juvat Xaverii beneficium adjungere. P. Joannes Falconius, operarius magni in Germania nominis, ex collegio Aschaffenburgico per totam late ditionem Moguntinam assidue cum ministerio evangelico excurrerat. Dum circa agrotos milites sui prope securus laborat, lethalem contraxit tabem, qua paulatim consumptus, & ad extrema deductus est. Jacobat sexto jam die destitutus omni sensu, inter vitæ mortisque confinia: cum repente in cœlesti lumine Xaverium videt cum P. Petro Cremerio, quo olim tirocinii magistro usus fuerat. Agnoscit amicos vultus, miratur, lætatur. Illi vicissim agrotum solantur, & in

74.
Collocatur Badæ Societas in domicilio proprio.

75.
Statio Societatis collocatur Heidelbergæ.

76.
Paderbornæ hæresis omnino extinguitur.

77.
Quatuor adolescentes a diaboli servitute vindicantur.

78.
P. Joannes Falconius e gravi morbo divinitus convalescit.

& in spem vitæ longioris humanissimis verbis erigunt. Vixi veritatem affirmavit eventus. Quod enim nemo sperabat, convaluit brevi Falconius, & ex ipso mortis limine revocatus ad labores pristinos rediit.

79.
P. Joannes Sandæus ab hæreticis mactatur.

At P. Joannes Sandæus, mortem martyrio simillimam consecutus, multo occubuit felicius, quam ille convaluerit. Vehebatur rheda cum Bartholomæo Rainoldo minoris ordinis clerico, & forte ad ministranda Tillianis militibus sacra properabat e collegio Spirensi. Cum insonuit e proximo clangor buccinæ, index copiarum appropinquantium, ac momento post in conspectu fuit agmen Mansfeldianorum circiter mille. Dum nostri fugam circumspiciunt, & abjunctos vehiculo equos parant conscendere, accurrunt infesti milites. Rainoldum prope dilapsum dumeta texerunt. Sandæus cum ab eo diversus fugeret, errore viæ incerto in hostes incurrit, qui mactandum clamantes Jesuitam, continuo glandibus plumbeis explosis oculum illi excutiunt, pertundunt humerum, denique perruptis visceribus exanimem sternunt. Odio vel Romani sacerdotii, vel Societatis sævisse latrones improbos, argumento fuit, quod cæterorum qui una ibant neminem violarunt, sed exacto a singulis pretio, omnes incolumes dimiserunt. Jacuit Sandæi cadaver in loco ubi ceciderat biduo infepultum, & indumentis exutum. Conquisitum postea jussu Tillii, illatum est in proximum oppidum Webstadium ad sepulturam. Oppidani vero, memores se Societatis opera ad catholicam fidem rediisse, illatum cum ingenti honore exceperunt, & in æde oppidi primaria ante aram principem tumularunt, elogio inscripto, quod viri nomen, genus, & mortem ab hæreticis illatam indicaret. Erat Sandæus patria Harlemensis. Cæsus est pridie Cal. Apriles, ætatis anno quadragesimo, susceptæ Societatis undecimo. Oppressus pariter ab hæreticis per idem tempus fuit P. Arnoldus Boecopus Gheldriensis. Moguntiam petebat, cum ab hæreticorum manipulo interceptus est. Satis illis visum cause cur periret, quod Sacerdos catholicus, quod e Societate Jesu esset. Dum de modo inferendæ necis deliberant, contruditur in ergastulum. Subiit interea improbos pudor, ac metus famæ, si hominem innoxium, indicta causa, palam supplicio afficerent. Satius putaverunt, ad invidiam declinandam, rem veneno agere. Poculum lathali temperatum succo porrigunt coenanti, ac nihil suspicanti. Mox illum emittunt carcere, beneficium imputantes, quod libertate ac vita donaretur, mille cruces, ut ajebant, promeritus. Eductus custodia Coloniam venit Arnoldus, ubi gliscente ad præcordia toxico, afflictus lecto, dira vi torminum excruciatu occubuit xii. Cal. Martias, annum ætatis decurrens trigessimum octavum. Hæc dabant subinde hæretici documenta animi erga nos sui. Quibus addendum postremo loco collegii Colonienfis incendium, & cujus etiam auctores fuisse hæreticos multis persuasum est. Ingenti sane damno Societatis conflavit ex parte maxima illud domicilium, & sacra ædes, cum insigni bibliotheca, quæ genere librorum, & numero in pretio erat. Næ defuerunt humanæ fraudis indicia. Illud vehementissimum, quod nocte concubia tribus simul locis inter se longe disjunctis ædificium flammam concepit. Sed jam relicta provincia Rhenana, stylum transferamus in Flandrobelgicam.

80.
Tumulatur cum honore Webstadii.

81.
P. Arnoldus Boecopus veneno interficitur.

82.
Incendium collegii Colonienfis.

83.
RES FLANDRO-BELGICÆ.
Militibus lucæ contactis nostri famulantur.

84.
Eo in officio moritur P. Jo. Wiringus cum aliis tribus Mechliniæ.

Exclusus Galliæ finibus Mansfeldius, dum pergit in Bataviam, a Gonzalo de Corduba cæsus profligatusque fuerat in campis Floriacensibus, quo prælio amissa magna copiarum parte, vix ipse vivus aufugerat. Foeda post hæc lues, quam Mansfeldianam vulgo nominabant, grassari coeperat per castra victricia. Cum passim milites prostrerentur, per plures urbes distributi sunt greges tabidorum, quibus capiendis vix locus inveniebatur. Lovanii, Mechliniæ, ac Bruxellis referta erant publica nosocomia, patebantque in iis quasi palæstræ totidem charitatis, & patientiæ, in quibus nostri se plurimum exercuerunt. Ac Mechliniæ quidem, dum illo christianæ charitatis officio perfunguntur, intra spatium unius mensis vitam profuderunt quatuor de Societate, quorum nomina silentio tegi non debent. Fuerunt ii Patres Philippus Proost, Robertus Gailart, Joannes Wiringus, & Jacobus Serians, viri omnes ab hoc ultimo vitæ actu

actu satis laudati. Sed etiam si demas tam gloriosam mortis commendationem, præcipuam Wiringus laudem ab antea vita promeretur. Per annos aliquot fuerat Catholicorum pastor in Frisia. Detectus ab hæretico magistratu, conjectusque in carcerem, jacuit ferro vinctus menses omnino septem, quo tempore tantam habuit apud catholicos opinionem virtutis, ut passim sanctus audiret. Argumento sit, quod, cum denique fuit dimissus, vir quidam nobilis magno pretio coemit compedes, in quibus hæserat, ut eos inter res sacras & pretiosissimas servaret. Natus erat Lovanii ante annos quinquaginta sex. Obiit v. Nonas Octobres. Plus interea laboris ex eadem causa nostris oblatum est Antuerpiæ. Bergas ad Zomam obsidione cinxerat supremus regiarum copiarum dux Spinula, sed ingravescentibus in exercitu pestilentibus febribus, coactus fuerat post tres menses obsidionem dimittere, & ægros milites per vicinas urbes distribuere. Pars multo maxima Antuerpiam deducta est, ubi erectum fuerat regio sumptu militare nosocomium. In eo languentes numerabantur ad quatuor millia circiter. Cum militum alii atque alii contagione inficerentur in dies singulos, nec tantam multitudinem nosocomium quod dixi caperet, ad usum agrorum paratum est ergastulum adolescentium, & straminea casa finitima: quibus etiam oppletis domibus, alii in mercatorum peristylliis, alii passim in porticibus, locisque publicis jacuerunt. Ad omnium opem se statim effudit charitas Societatis. Erant in principe nosocomio, præter Italos, Hispanos, Belgasque, non pauci Angli, Germani, & Scoti, qui licet secta heterodoxi, stipendia merebant Regi Catholico. Omnium animos ita sibi devinxerunt obsequio nostri, ut prope in parentum loco amarentur. Hæretici, opinionem de tota Jesuitarum gente præceptam damnantes, eorum congressum avidè expetebant, accedentes amice compellabant, cum magnis grati animi significationibus suscipiebant. Fuerunt centum supra triginta, qui negantes deesse posse fidei veritatem, quibus tanta inerat veritas charitatis, hac una causa moti sunt, ut se catholicis aggregarent. Jam quanti steterint hujusmodi fruges, explicare quis possit? In eo quod dixi ergastulo humi decumbentibus agrorum plerique, humanis præsidii omnino destituti: deerant enim qui quantavis mercede iis curandis suam locare operam vellent, propter intolerandum loci pædorem & fordes. Non medici, non Parochi pedem illuc inferebant. Soli aderant diu notuque nostri, soli remedia corporis animæque singulis ministrabant, nec ullum est tam humile & abjectum ministerii genus, quod suis ipsi manibus non præstarent, fastidiente licet stomacho, & nausente. Hinc morbo tentati fere omnes: extincti quatuor, videlicet David Tacksmans, & Georgius Vanderlacnen sacerdotes, Franciscus Vanderbos, & Franciscus Speremaker rei domesticæ adjuutores. Istorum posterior vix ad opus erat aggressus, cum ipsa odoris diritate corruit semianimis, & domum reportatus occubuit.

Interim insidiabatur Antuerpiæ Mauritius Princeps Arausiensis, occasionem captans occupandæ dolo urbis, in qua per exploratores cognoverat plures inveniri milites agrotos, quam præsidarios. Consilia demum componit adeo solerter, atque apte, ut successus expeditionis videretur impediri humana ope non posse. Parat naves & arma: tempus agendæ rei constituit ad III. Nonas Decembres. Latebant hæc Ambrosium Spinulam regii exercitus ducem supremum, & belli administratorem in Belgio. Hinc urbi imparatæ, & securæ majus certiusque periculum. Sed bene quod pridie ejus diei Spinula, instinctu nescio quo, in suum, & totius exercitus patronum elegerat S. Franciscum Xaverium, adhibito ad eam rem solemnî ritu, & caremoniarum splendido apparatu. Urbem sibi commissam solus defendit Xaverius, solus instans periculum propulsavit. Hostes silentio noctis Dordracum Antuerpiam petebant navibus diversæ magnitudinis, ut vulgatum est, amplius mille. Cum subito coorta aquilonis vis totam classem disjecit. Navigia quassata sunt omnia, contracta plura, non pauca cum vectoribus absorpta. Dux ipse Mauritius vix tandem præsidio tabulæ evasit in litus. Utque appareret, immissum de cælo infortunium fuisse,

To. I.

A a a

con-

85.

Ægrotis curandis se devotent Patres Antuerpienses.

86.

Ejus procuratoris fructus, & incommoda.

87.

Pia mors quatuor sociorum Antuerpiæ.

88.

Periculum ab inopino Batavorum incursum.

89.

Propulsantur Batavi ope S. Francisci Xaverii.

conglaciavit paulo post oceanus repentina vi frigoris: naves autem male multatas gelu ita constrinxit, ut agi nullo modo possent. Eodem tempore terræ circum itinera glacie constricta sunt; non ejus tamen firmitatis glacie, quæ resisteret calcantium equorum unguis, rotisque plaustrorum graviora vehentium onera, sed exili admodum ac fragili: quod impedimento fuit, ne subsidia peditum equitumque cum bellico instrumento Breda submitterentur. Hoc igitur modo, nemine præfidiariorum arma expediente, servata est arx orthodoxæ religionis in Belgio, nec ferme unus omnium fuit, qui præsentem Xaverii opem in tam fortunato eventu non agnosceret.

90.
Societas in
Belgio federato
proscribitur.

Dum hæc ibi geruntur, in altera Belgii parte fœderatis ordinibus subiecta, gravius quam unquam antea exagitari cœpit religio: proposito autem novo contra catholicos Sacerdotes edicto, multo inclementius de nostris decretum est, quam de cæteris. Juebantur alii tantummodo profiteri nomen apud publicos magistratus, & celebrandis catholicorum cœtibus abstinere. At hominibus Societatis tota interdicebatur fœderatorum ditio, cunctisque serio denunciabatur, ut intra sex dies solum verterent, poenis propositis gravioribus, si post diem sextum in ullo Batavorum loco deprehensi fuissent. Multæ constituebantur eorum hospitibus ac receptatoribus, fiebatque omnibus potestas quemcunque nostrorum nacti essent comprehendendi. Denum eodem edicto sanciebatur, ut trecentis florenis multaretur quicumque ad Jesuitas litteras mitteret, aut ab iisdem missas reciperet. Quæ fuerit tantæ contra nos acerbitatis causa, non satis habeo compertum. Nam prodiones regnorum, & regum cedes, crimina olim nobis objecta, ab aliis perpetrata, palam diluerat in Senatu Batavico Mauritius Princeps Arausicanus, cujus summa erat apud ordines fœderatos auctoritas, diserteque affirmaverat, constare sibi, procul esse a moribus Societatis ejusmodi scelera, quæ ipsi per meram calumniam appingi solerent. Verius ergo sit suspicari, ab sectæ magistris edictum illud atrox fabricatum fuisse. Sane illi Societatem averfabantur præcipue, tum quia graves acceperant hætenus ab ea clades, tum quia graviores timebant in posterum, videbantque nunquam se quietos fore, quamdiu cum ejusmodi hostibus congregandum esset. Ad præcidenda itaque certamina plerumque sibi probrosa, semper molesta, credibile est, tandiu eos institisse inflammare contra nos magistratus, donec edictum quod modo diximus extorserunt. Cæterum nemo e nostris propterea locum deseruit. Tantum cavebant ne se darent in publicum, cœperuntque posthac adesse catholicis, non remissius, sed cautius.

91.
Proscriptionis
quæ fuerit cau-
sa.

92.
RES PROVINCIE
LUGDUNENSIS.
Novum tem-
plum dedicatur
Lugduni.

93.
Quædam supra
naturæ usum e-
veniunt circa
illud.

Ex Belgio progredimur in Galliam, & a provincia Lugdunensi rerum scribendarum initium sumimus. In ipsa urbe Lugduno Antistes Simon Dionysius Marquemontius novum Societatis templum, cujus ante quinque annos primum lapidem consecraverat, uni ac trino Deo dedicavit, incredibili totius urbis celebritate, & lætitia. Et erat sane cur civitas Lugdunensis tantam ædificii molem ad culmen eductam sibi gratularetur: multum enim de suo ad opus perficiendum contulerat. Præter pensiones in annos singulos persolutas, largita nuper fuerat in eundem usum duodecim aureorum millia de congiario nescio quo, regis munificentia sibi donato. Quædam præterea, dum extrueretur, acciderant supra communem ordinem, quæ præcipuam templo religionem conciliabant. Erat jam opus pene perfectum, cum unus nostrorum, ausus ascendere in summum tabulatum prope fornicem, fallente vestigio decidit in pavementum. Ex tam præcipiti casu omnino debuerat in frustra comminui. Ne leviter quidem allisus est, sed statim in pedes surrexit incolumis. Admirationem omnium cumulavit, quod asseres ex eodem tabulato in alterius caput delapsi, nihil illum læserunt. Mirabile id, sed forte mirabilius quod subjicio. Educta ad fastigium templi facie, tollebat machina prægrande saxum vertici superimponendum, spectante e subjecta via hominum innumera multitudine. Ecce autem, ut ad summam altitudinem evectum est, rumpitur victa pondere trabs unde pendeat. Mirum dictu! Moles pendentis lapidis, divina regente manu, delata est supra para-
tam

tam basim, in eaque confedit tam apte, tam congruenter, ut nihil præterea fuerit quod in ea aptanda facerent cæmentarii: trabs vero contrita in terram ita decidit, ut læserit neminem. Dedicato, uti diximus, novo templo, accidit ut Lugduno transfret Rex Ludovicus, regiam victis hæreticis, & pacato regno repetens. Triumphalem illico pompam paraverunt cives, quæ Regem deceret, eumque victorem. At Rex vere Christianissimus, reputans, quo die erat in urbem ingressurus agi festum Virginis sine labe conceptæ, nec fas existimans obsequii sui causa averti populum a religionibus ejus diei, præmissis adventus sui nunciis, omnia vetuit lætitiæ publicæ signa. Ut vero spectaculum civitati daret multo præstantius, mane summo urbem ingressus cum regia conjugè, recta contendit in primariam basilicam, ubi post usitata religionis officia, de sacra mensa percepit: mirante populo pietatem principis, eamque cæteris ejus laudibus præferente. Post meridiem Rex in novo templo Societatis concionem haberi jussit a P. Gaspare Seguirano, quo utebatur a confessionibus, ad eumque audiendum venit cum regina. Postremo precibus vespertinis interfuit insigni pietatis modestiæque exemplo, quod in oculis frequentissimæ urbis exhibitum, mirum ut omnes affecerit.

Circa labores Patrum Lugdunensium multa sunt in litteris hujus anni, ex quibus pauca cursum delibo. Lugduni e grege Calvinii ad Ecclesiam traductos invenio triginta quinque, atque unum nominatim bello egregium, qui jamdiu arcem munitissimam tenebat pro secta. Is errorem deductus a nostris, & ad saniora consilia revocatus, arcem ultro reddidit regi, ipsique & Ecclesiæ sacramentum novæ fidei dixit. Pari laboratum est fructu in aliis provinciæ locis. Ex collegio Avenionensi duodecim operarii in evangelicas expeditiones missi, præter usitatoriam ejusmodi laboris fructum, Calvinistas sexdecim Montilii, Bagnolii centum ab hæresi ad veritatem traxerunt. Pontifalii (nobile, id oppidum est apud Sequanos) statio erat Societatis collegio Bisuntino obnoxia. Stationem istam non æquo ferebant animo aliqui oppidanorum, & sæpe antea de pellendis Patribus consilia agitaverant. Hoc anno tanta facta est animorum inclinatio erga ipsos, ut cogitarent de statione in formam justii collegii redigenda, nihilque timerent magis, quam ne nostri abirent. Sacerdotes quatuor ad incolas vallium alpinarum profecti sunt ex collegio Ebredunensi, eorumque opera expiati quam plurimi, pax inter dissidentes composita, sacræ ædes, quas vel temporum, vel hæreticorum injuria diruerat, refectæ, & ornatae fuerunt: reducti demum ad catholicam veritatem non pauci, quos non tam animi pravitas, quam hæreticorum improbitas & fraudulentia corruerat. Ebreduni e secta Calvinii redierunt ad Ecclesiam octo, quo in numero admirationi præsertim fuit femina nobilis, mira hæctenus pertinacia, & plusquam muliebri vanitate. Qua valebat loquacitate, profitebatur sæpe, nullius se catholici doctrinam pertimescere, eoque placebat sibi plurimum, & apud suos in pretio erat. Tamen ausa cum nostro Sacerdote sermonem ferere de religione, submitit ultro fasces; neque solum vanitatem sectæ, quod facillimum erat, agnovit, verum etiam damnavit. Cabelii calvinianos viginti duos expugnaverunt eodem anno operarii collegii Viennensis, ac præter cæteros anum pervicacissimam annorum octoginta, quæ supremum ægrotans, in ipso vicinæ mortis discrimine errorem mordicus defensasabat. Non sunt hoc loco prætereunda illustriora quadam exempla virtutum, quibus eodem tempore Mariana fodalitæ claruerunt. Plenus erat ager Avenionensis hominibus calamitosus, quos stitendia meritis rex, bello confecto, exauctoraverat. Eos magistratus arcebant mœnibus, quippe morbis & egestate oppletos, ne contagione inficerent civitatem. Ne inopia perirent, effectum est misericordia fodalium Avenionensium. Unus villam suam suburbanam attribuit, ut in usum publici nosocomii vertetur. Alter, licet haud multum locuples, quamdiu vis illa morbi defavivit, singulos quotidie aureos in eorum subsidium erogavit. Nec tacendus alter, qui mortui cadaver e via publica sublatum humeris detulit ad sacræ ædem,

T. I.

Aaa 2

chri-

94.
Pietatis exemplum a Ludovico Rege exhibitum.

95.
Hæretici ad Ecclesiam reducti Lugduni.

96.
Res gestæ socio-rum in variis provinciæ locis.

97.
Mariana fodalitæ virtutum exemplis illustrata.

christiano ritu sepeliendum. Bisuntii unus quidam fortuito casu abreptus flumine, in eo prope erat ut mergeretur, spectantibus e ripa pluribus, nemine audente propter periculi magnitudinem opem ferre. Sodalis Marianus, secum reputans esse se in clientela divinæ Matris, coniecit se in amnem medium, perque obstantes undarum moles magna vi lacertorum natans, miserum jam pene fluctibus obrutum ab interitu vindicavit. Camberii adolescentes aliquot e minori Virginis sodalitia, die quadam egressi urbe, quatuor conspexerant viros districtis inter se ensibus ferociter digladiantes. Accurrunt propere, dirempturi si qua possent pugnam. Jam tres humi jacebant faucii. Eos pii sodales tollentes humeris in urbem deportaverunt. Unus inter brachia gestantium, piisque eorum cohortationes expiravit. Reliqui duo cognatis traditi, curatique vixerunt. Factum multis laudibus civitas celebravit, nec dubitarunt magistratus nostris hominibus gratias agere, pro certo sumentes, fruges tam mature virtutis in tali ætate non nisi ex cultura Societatis adolevisse.

98.
Letitia signa ob
Ignatium & Xa-
verium sanctis
adscriptos.

99.
Beneficia quæ-
dam a S. Ignatio
impetrata.

100.
S. Ignatii obtre-
ctor pœnas di-
cacitatis luit.

Per idem tempus, ut in aliis plerisque provinciis, sic etiam in Lugdunensi eximio populorum studio celebrabatur letitia Societatis, ob honores sanctorum nuper Ignatio, & Francisco Xaverio decretos. Non est hujus operis persequi diligentius, quæ in singulis civitatibus acta sunt. Ut tamen aliqua cursum attingam, Dolæ supplicationes in illorum honorem indictæ fuerunt, tanta omnium ordinum voluntate, ut Senatores duo pene decrepiti, iidemque podagra laborantes, nec morbum excusaverint, nec ætatem, ne supplicatum irent una cum Senatu reliquo, & civitate. Ebreduni tum cives, tum Canonici, ut augustiori pompa celebraretur gaudium tam insigne Societatis, multa de suo contulerunt. Angustior erat eo tempore collegii Ebredunensis aedes, & sacra suppellectilis parum locuples. Canonici primarium urbis templum cum omni instrumento nobis per illos dies permiserunt. Neque hoc contenti, præsentiam quoque suam, & vocis ministerium ubicunque opus fuit præstitērunt. Quin, instituta supplicatione, procedere voluerunt uno agmine singuli cum nostrorum singulis, & nostris quidem honoratiorem locum frustra repugnantibus reliquerunt. At Camberii B. Pater Ignatius diem frustra honoribus lætum mirabili beneficio latiore fecit. Jacebat podagra doloribus oppressus Senator nobilis, dum forte civitas, ob concessum nuper Ignatio & Francisco Xaverio sanctorum nomen & cultum, letitia publica perstrepebat. Jacenti, omnesque se in partes ob doloris acerbiter volventi, venit in mentem Ignatii. Hunc audierat olim murali tormento ictum gravissimos dolores pertulisse fracta tibia, iisque ope Principis Apostolorum fuisse divinitus liberatum. Rogat ergo Ignatium, ut quam ipse opem in pari calamitate accepisset a patrono suo S. Petro, eandem sibi nunc clienti suo, ac supplici afferat. Vix precem expleverat, jamque molestiam nullam sentiebat. Graviori tum cruciati, tum etiam periculo erepta est mulier quædam Grajaci apud Sequanos. Mortuum in utero foetum retinebat a tribus diebus, nec ejus extrahendi spes erat, nisi secto utero. Aderant chirurgi, & ad diram sectionem accingebant. Quo illa animo, quo vultu ferrum depromptum jam, expeditumque respectaret, facile est conjecturam facere. Inter hæc misera oblata nescio quo casu est Ignatii effigies papyro impressa. Arripuit illam mulier, admovit sibi magna fiducia: invocato autem semel atque iterum nomine Ignatii, levi conatu exanime onus effudit. Mitto hujus generis alia. Tantum addo notabile severitatis exemplum, quo B. idem Ignatius dicacitatem coercuit obtrectatoris sui, ut scias beatum virum neque invocari frustra, neque impune violari. Orgileti, quod Sequanorum oppidum est non ignobile, vir professione religiosus cum apud amicum accumberet in frequenti convivio, ut forte illatus est sermo de miraculis, quibus Beatus Pater Ignatius in dies magis inclarescebat, false subridens, nec sine contemptu: *Magnum*, inquit, *narratis mihi sanctum, qui dentium dolores mitiget*. Offendit convivas procacitas joci. At nugator cito pœnas intemperantis linguæ dedit. Intra paucos dies corripitur acri dolore dentium, quo sensum ingravescen-

scente, nulla arte juvari potuit, ne ex illa acerbitate moreretur.

Ex omnibus qui hoc anno vivere in provincia Lugdunensi desierunt, luctu maximo elatus est Avenione P. Petrus Biardus Gratianopolitanus. Religionis propagandæ studio navigaverat ad barbaros Canadenses, fueratque inter primos ejus terræ cultores, ut in quinta parte narratum est. Inde pulsus ab hæreticis Anglis, & redire in Galliam coactus, totum se impendit juvandis popularibus suis, quorum ut salutem confuleret, nihil sibi reliqui ad laborem diligentiamque faciebat. Ejus tamen industriam experti maxime sunt Parodienses in præfectura Carolitana, quam civitatem per usitata ordinis ministeria diu coluit. Novissimæ regionis præfectus Marchio Ragnius, jussus a rege copias in Campaniam ducere contra Ernestum Mansfeldium Galliarum finibus imminentem, Biardum sibi adseverat comitem expeditionis, & sacrorum ministrum. Per eam occasionem nescias, utrum spectata magis sit apostolici viri charitas, an patientia. Magna erat in castris inopia commeatuum. Diaria militibus præbebantur adeo maligne, ut nonnulli fame perirent. Biardus cibaria, & demensum suum, ac siquid præterea pecuniolæ a ditioribus emendicando corrogasset, inter egenatissimos militum partiebatur, se ipsum fraudans diurno victu, ut aliis benigne faceret. Avenionem concesserat denique, ut attritas tot laboribus vires paucorum dierum otio resciceret. Verum quasi divinans, instare sibi omnium laborum & vitæ finem, totum illud tempus impendit excolendo piis commentationibus animo inter tirones, seque ad primam tirocinii formam senex emeritus ita composuit, ut nullam omitteret earum exercitationum, quibus ad sui mundique contemptum erudiri solent novitii. His intentum, nihilque jam præter celestia cogitantem mors oppressit, xv. Cal. Decembris. Biardi iacturam plures suppleverunt egregii juvenes eidem tirocinio additi. Unus tamen memorandus ex cunctis, quem nobis humana major providentia servavit. Societati dederat nomen adolescens, parente non solum invito, verum etiam inconsulto. Is ut rei certior est factus per litteras, dolore perditus, ocyus venire Avenionem ex oppido suo statuit, ut filium ad se quocunque modo reciperet. Hac mente se dat in viam, equo infidens familiari. In itinere semel, iterum, & adhuc tertio dejicitur equo, quo semper mitissimo usus fuerat. Enimvero mirum id homini accidere. Cogitare secum, forte iter illud suum, & itineris causam, Deo non probari. Hæsit paululum ea cogitatione defixus. Demum ita plane esse intelligens, consilium mutavit, & filio bene precatus domum reversus est. Idem annus novum provinciarum Lugdunensi collegium dedit ad Aquas Sextias. Postulaverat Societatem civitas ante annos ferme quadraginta: sed quæ erat tunc paucitas sociorum, licet de conditionibus excitandi collegii transactum jam esset, dilata in aliud tempus fuerant ejus vota. Interea orti sunt civiles Galliarum tumultus. Secutum haud multo post exilium Societatis, quo non solum res est omnis intermissa penitus, & abrupta, verum etiam alienati plurimum a rebus nostris Aquensium animi. Mutatis demum temporibus, revixit in eorum plebisque vetus collegii desiderium. Negotium haud difficulter conficiendum videbatur. Erant quippe consules egregie animati, favebat Rex, provinciarum administrator Carolus a Lotharingia dux Guisæ nihil optabat impensius. Verum obstabat suprema curia (Parlamentum Galli vocant), nostrorumque adversariorum precibus & consiliis cedens, vetabat ne ad eam rem deliberandam coiret consilium civitatis. Rebus ita se habentibus, moram omnem disjecit benignitas regis. Comperto enim Societati adversari admodum paucos, annuit petitioni civium clarissimorum, a quibus libellum acceperat supplicem, ut hominibus Societatis donaret cum suo censu gymnasium Borbonium, quod Aquis Sextiis conditum ab Henrico magno fuerat; idque regio diplomate fieri quamprimum jussit. At ecce tibi nova contra nos, nec opinata malevolorum molimina. Non audentes decreto regis palam obistere, ejus saltem ut beneficium ex parte corrumpere conabantur. Agebatur de conditionibus, quibus tradendum esset Societati gymnasium Borbonium. Illi multa nobis imponi curarunt ab instituti

101.
Obitus & elogium P. Petri Biardi.

102.
Novitius memorabili eventu Societati servatur.

103.
Aquis Sextiis collegium constituitur.

104.
Gravis imponitur conditio, sed mox abrogatur.

nostri rationibus abhorrentia, atque illud inter alia, ne in toto eo Gallia tractu, qui Provincia nomine designatur, liceret nobis aliud habere unquam domicilium, præter Aquense. Erat id temporis provinciæ Lugdunensis præses P. Joannes Forerius, qui tametsi intelligeret gravissimam conditionem esse, tamen contra hiscere non est ausus, satis habens collegium recipere ea cautione, si Præpositus Generalis acta probasset. At Mutius adeo non probavit, ut dimitti mallet collegium Aquense, quam cum ejusmodi conditione retineri. Nam cur prohiberi Societatem, ne aliis quoque provinciæ civitatibus, si quando illa vellent, copiam sui faceret? In hanc sententiam rescripserat ad Provinciale. Verumtamen Rex, ut integrum nobis fructum beneficentiæ suæ præstaret, novas confici jussit pactorum tabulas, molesta conditione omissa penitus, & abrogata. Sic immisi in possessionem gymnasii Borboniani Patres, novum Aquis Sextiis collegium hoc ipso anno exeunte aperuerunt.

105.
RES TOLOSANÆ.
P. Hervæus
Malvesius ab he-
reticis interfici-
tur.

In provincia Tolosana duo desiderati sunt operarii insignes, & annalium memoria digni, P. Hervæus Malvesius, & P. Joannes Lagarde, ambo ab malevolis, non eodem tamen modo, perempti. Malvesius militibus regis obsidentibus Montalbanum subvenerat anno superiore, eique rara felicitate lues, quæ late in castris grassabatur, etsi nullum ministerii genus prætermittenti pepercit. Missus inde Cleracum, Aquitaniæ oppidum perduellibus haud ita pridem ereptum, militibus civibusque sacra ministrabat: cum accidit subita gregalium prodicione, ut reciperentur denuo intra moenia rebelles. Dum clamor tota urbe personat, dum omnes ad arma consternantur, Malvesius accurrere huc illuc, regios ad agendum fortiter cohortari, faucios cadentesque a peccatis absolvere. Agnitus est ab irruentium perduellium globo Sacerdos Societatis. Nec mora: trajicitur prius glande ignea, mox acinace in caput alte demisso, Jesum ac Mariam ingeminans, intericitur. Fuerat exempli semper recti vir, pluribusque virtutibus, sed alienæ præsertim salutis studio, & contemptu sui spectabatur. Incidit ejus mors in ix. Cal. Martias. Natus erat in dioecesi Petrocoricensi ante annos sexaginta quatuor, quorum triginta quinque consecerat in Societate. Ejus corpus post plures menses incorruptum, & recenti adhuc aspersum sanguine inventum est. Lagardius patria Tullentis, versabatur in regia classe, qua dux Guisus Xantonicam oram ab incursionibus Rupellensium tuebatur, epibatisque & nautis aderat ministerio sacrorum. Vidit casu nefarium præstigiatorum noctu circulos, aliasque maleficiæ formas describentem, nec continere se potuit quin arriperet hominem in ipso compertum scelere, & ejiciendum navi curaret. Ille cum eiceretur, accessit ad Lagardium propius, & nescio quid ignoti carminis in aurem insusurrans, eidem pestem afflavit exitialem, unde vertigo subita, febris, tremor, animique defectio. Milites classarii, quibus cara Lagardii vita, & præsentia utilis, cum nulla esset in navi curationis facultas, exponendum curaverunt in oram proximam, collatis de suo pecuniis, ut curari posset pro loco non incommode. Decubuit ad plures dies Lagardius in humili prope littus spelunca, donec delatus in vicinam insulam ad ostia Ligeris, apud Parochum S. Riani pie decessit xviii. Cal. Septembris, anno ætatis vigesimo septimo, ab inita Societate undecimo. Multiplici florebat scientia, sed ea nihil inflatus, de se ac rebus suis humillime sentiebat. Duos annos versatus in sacris expeditionibus, toto hoc tempore socio provecioris ætatis pene pro famulo fuerat. Adeo malorum patiens, ut quæcunque acciderent, non animum, non vultum mutaret. In obsidione Tonnensi plures continenter noctes exegerat omnino insomnes, paratus accurrere quocunque militum usus posceret, nec visus unquam fuerat tot incommodis molestia affici.

106.
Mors & elo-
gium P. Jacobi
Lagarde.

107.
RES
PARISIENSES.
Obitus & elo-
gium P. Antonii
Gaudier.

Pacatiorem egerat vitam, & communiorem vitæ exitum habuit Parisiis P. Antonius Gaudier, ab annis ferme quinquaginta natus Castroterii, in oppido dioeceseos Sueffionensis. Vir moris integerrimi erat, & theologiæ quam vocant mysticam scientissimus, ut plures ejus libri testantur. Adhuc adolescens annorum septendecim, cum videret totam late Galliam civilis incendio belli misere con-

conflagrantem, quietem pietatis & studiorum altricem quaesivit in Societate, juvenem praestanti ingenio, ac liberaliter educatum libentissime admiserunt nostri moderatores: veruntamen mox ob incommodam valetudinem e tirocinio dimiserunt, quippe ordini futurum, ut videbatur, oneri magis quam usui. Ille profectus in Belgium, non solum ut denuo inter nostros cooptaretur obtinuit, verum etiam quot vixit exinde in Societate annos triginta tres, utiliter admodum ac fructuose transegit: ordini adeo non gravis, ut vix alius esset, cui gravissima quæque ministeria committi tutius possent. Ac magnam, quidem vitæ partem insumpsit inter Belgas, nunc in sacris paginis explicandis, nunc in administrando collegio Leodiensi occupatus. At anno labentis sæculi decimoquarto rediit in suam Galliam, ac moralem theologiam tradidit in Muscipontano collegio prius, deinde in Flexiensi, præfecturam interea inter domesticos gerens earum rerum, quæ ad conscientiam pertinent. Postremo Lutetiam accitus, Sacerdotum nostrorum, qui tertio probantur anno, institutioni præficitur: cujus muneris dum partes omnes ac numeros egregie implet, morte est interceptus postridie Idus Aprilis. Orandi usu assiduo P. Gaudier miramur in rebus cœlestibus intelligentiam erat adeptus, cujus luculenta videre licet indicia in ejus operibus, fovendæ excitandæque pietati utilissimis. Idem in discernendis animorum affectionibus multis, & variis, summe perspicax. Idem in fraudibus mali dæmonis detegendis dissipandisque solertia plusquam humana præditus. Cujus præsertim rei causa factum existimo, ut illum inferni spiritus infectarentur inexpiabili odio, & horrendis sepe spectris incesserent, quæ tamen ille exemplo magni Antonii, cujus gerebat nomen, ut puerorum terribilia lamenta contemnebat. Olim Leodio cum iter faceret Luxemburgum, quamquam plana erat via, ac nullis salebris impedita, una cum equo prolapsus repente est tam præcipiti casu, ut crus fregerit. Eodem momento temporis Leodii mulier energumena cachinnos ingentes tollere in templo palam, exilire gaudio, prope amentiam letari visa. Coactus per solemnia Ecclesiæ carmina malus demon effari, quid istud esset lætitiæ tam inusitæ, tam subitæ? *Nunc, inquit, tibi mihi male confregit rector Jesuitarum, nec per me stetit, quin cervicem quoque frangeret.* Societatis leges omnes servabat exacte usque ad ultimos apices. Religiosam vocationem tanti faciebat, ut quoad vixit magno semper in metu fuerit, ne quo suo merito ab ea excideret. Illud itaque in morbo extremo sibi præcipue est gratulatus, quod jam sperare certo posset se morituum in Societate: quamquam, addidit, nunc etiam timenda mihi sunt occulta Dei judicia. Pridie quam expiraret, circumfusos lectulo Patres supremum alloquens, ea de se dixit, quæ cunctis lacrymas excusserunt, & novos ad pietatem stimulos subjecerunt.

Provincia Aquitanæ duo collegia hic annus peperit, primum Pali in Bearnia, alterum Engolismæ. Bearniese debuit Societas munificentia Ludovici Regis, qui cum totus in eo esset, ut post pacatam provinciam hæreticos sibi jam subjectos Ecclesiæ etiam auctoritati subjiceret, id se non alio facilius modo consecuturum existimavit, quam si Societatis coloniam in eam regionem deduxisset. Accessere vota catholicorum id ipsum enixe per libellos supplices flagitantium. Rex igitur sub initium anni Blesæ, ubi tunc erat, diploma confecit de collocandis in Bearnia hominibus Societatis. Eo diplomate, præfatus valde se cupere Bearnenses hæreseos vinculis expediri, eaque propter consilium cepisse constituendi apud eos collegium virorum religione doctrinaque præstantium, ad ejusmodi usum, subiciebat, visos sibi præ cæteris deligendos homines Societatis Jesu, quippe quos sciret, ob integritatem copiamque doctrinæ, ac studium religionis amplificandæ, futuros consiliorum suorum per quam idoneos administratos. Tanto verborum honori respondit munificentia factorum. Collegium dotavit amplo censu, regium appellari iussit, voluitque esse eodem jure, quo Flexiense a patre suo Henrico magno fundatum. Quod ad locum attinet, permiserat Societatis arbitrio, in qua potissimum Bearnia urbe collocari domici-

108.
Quanto illum
odio dæmones
infectarentur.

109.
RES
AQUITANÆ.
Fundatur colle-
gium Palense.

110.
Primordia
collegii Engolismensis ab Episcopo turbantur.

111.
Componuntur
omnia interven-
tu Cardinalis
Surdifii.

112.
RES
CAMPANIE.
Collegium Me-
tense sæpius di-
sturbatum.

cilium placeret. Nostri Palum oppidis cæteris prætulere, provinciæ caput scilicet, & Henrici magni natalibus illustratum. Pali ergo P. Petrus Cotonus præpositus provincialis collegium aperuit, tresque statim ludos litterarios teneriori ætati dedit. Collegium Engolismense non sine multiplici nostrorum molestia fundatum est. Aberat Engolisma Episcopus ejus urbis, dum civitas cum P. Cotonone agebat de inducenda propediem in suam urbem Societate: significaverat tamen per litteras, placere vehementer sibi quod de collegio instituendo transactum erat. Tantum admonuerat magistratum urbanum, ne id antea fieret, quam ipse Parisiis, ubi tunc degebat, Engolismam rediisset. Post aliquot menses civitas, longam esse moram videns, nec extrahendam ulterius putans rem civibus optatissimam, & regis auctoritate confectam, vocavit ad se Patres, & in domicilii possessionem immisit, non expectato Episcopi adventu. Erat hic a Societate non alienus. Factum nihilominus ferens indignissime, reversus Engolismam nostros excedere quamprimum jussit, censuris notandos, nisi jussa facerent. Abire parantibus vi resistebat civitas, & invitos detinebat. Jus exilii, agebant, penes regem duntaxat esse: venisse eos voluntate regis, non debere nisi ejusdem jussu discedere. Rursum Episcopus minas censurarum intentat, ac reipsa locum non deserentes usu sacrorum prohibet. Nostri remedio juris utendum rati, appellant Archiepiscopum Burdigalensem Cardinalem de Surdis. Is rescissa, quatenus opus esset, sententia Episcopi, vetat ne quid amplius in ea causa moveatur, inconsulto se. Vicissim Episcopus ad Senatam Parisiensem provocat ex formula, quam vocant *ab abusu*, atque interim nostros contumaciæ damnatos anathemate ferit, subjiciens eidem poenæ, si qui eorum commercio uterentur. In hoc rerum statu Engolismam venit Cardinalis Surdisius metropolita, jussisque omnibus negotio abstinere, causæ cognitionem instituit, dicta partibus die, qua apud se convenirent. At idem mox, posita persona judicis, negotium citra fori contentionem tractare aggreditur. Cum nullam nostri recusarent ex conditionibus quas ille proponebat, brevi negotium ex æquo & bono confectum est. Concordiæ leges fuerunt tres: prima, ut nostri per aliquot dies scholas ocluderent: altera, ut eas recludendi veniam peterent ab Episcopo: postrema, ut eundem in collegium venientem honorifica oratione exciperent, ac salutarent. His addi postulabat Episcopus, ut urbe ad quantumcunque tempus excederent, proponeret, ut digressi paululum ad cœnobium Capuccinorum extra urbem, ibi rei sacræ interessent, ac statim per aliam portam regrederentur. At adversus hanc conditionem civitas intercessit adeo vehementer, ut res prope seditionem venerit. Quocumque nimirum nomine velaretur profectio illa Patrum, exilii speciem præferre: nec se passuros, inquiebant, Episcopum usurpare jus eos exilio multandi, qui regis auctoritate fuissent intra urbem recepti. Hac ergo conditione omissa, cæteris autem, uti convenerat, sine mora completis, stetit collegium Engolismense, & scholæ iterum cum bona Præfulis venia patuerunt.

Idem annus provinciam Campaniæ novo collegio auxit Divoduri, quam antiquissimam urbem Metas usitatore vocabulo vulgus nominat. Collegium istud ad extirpandam Calvini hæresim inceptaverant ante annos circiter quinquaginta Carolus a Lotharingia, & Ludovicus a Guisla, germani fratres, ambo Romanæ Ecclesiæ Cardinales: sed quæ tunc erat hæreticorum potentia, coacti fuerant opus intermittere; quodque Metis non licebat, perfecerant feliciter Mussiponti. Annis post illud tempus evolutis decem, rem eandem aggressus pro viribus Antonius Furnerius Metensis Episcopi suffraganeus, fortuna usus fuerat paulo meliore, inductis reipsa Metas operariis Societatis, qui quidem per annum integrum ea in urbe manserunt. Quod tamen optabatur, ut stabilem haberent ac perpetuam sedem, id ne tunc quidem confici potuit, repugnante hæreticorum factione, adhuc numero viribusque prævalida. Tentata denique, & prope ad exitum perducta fuerat res post annos pariter decem. Cum enim summus Pontifex quoddam suppressisset illius urbis cœnobium, Episcopus Me-

Metensis, Ducis Lotharingæ filius, impetraverat a Pontifice, ut cœnobii ædes & census ad collegium nobis constituendum transfererentur. Sed quo tempore decretum istud conficiebatur Romæ, prodit illud Parisiense, quo Societati tota Gallia interdicebatur: quodque nostro ordini destinabatur cœnobium, aliorum administrationi commissum fuit. Revixit eadem Metensium deliberatio simul ac postliminio restituta fuit Societas ab Henrico magno. Principem rogaverunt statim per libellos supplices, sibi ut liceret tradere urbis suæ gymnasium hominibus Societatis. Sed quamquam illis responderet ad vota rex clementissimus, simul tamen admonuit amice nostros, ut cunctarentur paululum domicilii illius possessionem adire, donec hæreticorum odia deferbuissent. Fluxere post hæc anni sexdecim. Cum nihil hæretici hoc præterito tempore de sua erga nos acerbitate remississent, non ideo cunctandum ultra censuit Henricus Borbonius ejusdem Regis Henrici filius, cui delata nuper Metensis infula. Spreta eorum intercessionibus & querelis, faciendum omnino sibi statuit, ut res tandiu prorogata aliquando tandem perficeretur, atque hoc ipso anno ad 1x. Cal. Maji gymnasium urbanum Societati commisit, dimissis qui illud hætenus administraverant professoribus. Factum non solum probavit Rex Ludovicus, verum etiam, ne qua suboriri posset dubitatio de jure possessionis, eam denuo nostris a regio præside tradi jussit. Quo id animo acceperint Calvinianorum duces, pronum est intelligere. Dejecti spe arcendæ Societatis ab urbe, arcendos saltem gregales suos ab omni commercio Societatis curarunt, eoque consilio novum ipsi gymnasium aperuerunt. Sed nihil magnopere profuit. Gymnasium istud rex intra paucos menses occludi jussit, unde imposita plebisque necessitas suos mittendi liberos ad scholas Societatis. Successu temporis Calviniani, cum viderent suos filios satis feliciter institui sub disciplina nostrorum, sensum ministrorum suorum voces aspernari cœperunt, nulloque eorum respectu adulti ipsi se nostris hominibus docendos præbuerunt. Ante exitum hujus anni sexaginta ad Ecclesiam redierunt.

Dum hæc agebantur Metis, Mansfeldius, de quo dictum est supra, prædatorum exercitum illum suum per Campaniæ fines ductabat in Belgium. In itinere cum militum permulti, vel inopia stipendiorum, vel tædio militiæ, signa desererent, eos per agros & silvas vagos, rerumque omnium egenos rustici inclementer exagitare cœperunt, & plures subinde interficiebant. Rumor hujus rei allatus ad Patres collegii Carolopolitani, movit ipsorum charitatem ut miseris opem ferrent. Ad eos igitur perquirendos egressi, non solum pagos proximos, sed etiam silvas, saltuumque latebras circumcurarunt. Labor sine fructu non fuit. Quidam inventi in suo jacentes sanguine, & miserabiliter interempti: plures enecti fame, nonnulli prope mortem agrotantes. Cunctis, pro suo cujusque statu, benigne factum. Mortuorum corpora humi condita, inopes cibo refecti, morientes sacrorum ministerio recreati. Quo misericordiæ exemplo magis, quam Patrum suasionibus victi ex illo numero duodecim, hæresim abjecerunt. Per idem tempus Mussiponti diem clausit extremum Joannes Dominæus, patria Victoriacensis, professione scholasticus, ætate juvenis annorum undeviginti. Annorum paucitatem optimus juvenis magnitudine virtutum in tantum amplificaverat, ut miram haberet apud omnes domesticos sanctimoniam opinionem. Hanc porro proxime post ejus mortem singularis eventus comprobavit. Verfabatur in eodem collegio juvenis, certis de causis dimittendus propediem a Societate. Nequidquam miser adhibuerat preces & lacrymas, ut retineretur. Deliberata res erat, nec sententiam moderatores mutabant. Ille jacentem in feretro Dominæum videns, accurrit animi motu nescio quo percitus, eumque arte complexus: *Te saltem, exclamat, exorabilem ego inveniam hodie: ades o bone, & tecum me prius trabe, quam hinc abire compellar.* Mirum dictu! Eadem die acri corripitur dolore viscerum, nec multo post, quod tantopere concupierat ut in Societate moreretur, obtinuit. In idem fere tempus incurrit mors P. Joannis Gentilii, cujus viri tanto fuit

To. I.

B b b

ja-

113.
Nunc demum
decernitur, &
perficitur.

114.
Socii Carolopolitani misericordiam calamitosam impendunt.

115.
Mors Joannis Dominæi scholastici memorabili eventu illustratur.

116.
Mors & elo-
gium P. Joannis
Gentilii.

jaçtura complorator, quanto pretiosior vita omnium judicio habebatur. Dum antea, cum esset Lugdunensis provinciæ præpositus, tantam sibi pepererat apud summos infimosque auctoritatem & gratiam, ut cum Societas ex Parisiensis Senatus consulto pellebatur, uni illi potestas fieret permanendi, si vellet, in Gallia: quod tamen beneficium Gentilius non admisit, multo calamitosius ratus carere sodalium optatissimorum convictu, quam cum illis pariter exulare. Omni virtutum genere spectabatur, sed miro præsertim, ac nunquam intermisso animarum studio. Obiit Divione eadem sanctimoniam fama qua vixerat, annos natus septuaginta, quorum tres supra quinquaginta exegerat in Societate.

117.
Ingressus in So-
cietatem Caroli
a Lotharingia.

Has sociorum jaçturas ut mitius Societas ferret, effecit Carolus a Lotharingia ad nos eodem anno transfessus. Vir enim illa generis amplitudine, & cunctos fere Europæ principes affinitate contingens, Virdunensis item Episcopus, & quod vulgo increbuerat, in Cardinalium numerum proxime cooptandus, haud sane mediocre nostro ordini decus & ornamentum attulit. Educatu fuerat ab ineunte ætate Carolus ad bellicam laudem familiæ hæreditariam. Tamen adulto persuaserat Henricus patruus Virdunensis Antistes, ut sacram in ecclesia militiam sequi mallet, quam profanam in castris, eundemque sibi successorem dari impetraverat in Virdunensi episcopatu, quo in nepotem translato, deliberatum habebat Societatem amplecti. Nihil non egit Henricus apud Romanum Pontificem, ut liceret sibi post dimissum episcopatum ad nos transire, sed frustra. Negatam patruo potestatem impetravit per quam feliciter Carolus, cum ecclesiam illam administrasset jam fere quinquennium. Sed talis ineundi consilii quæ occasio fuerit, operæ pretium est cognoscere. Solemne erat Carolo spiritualibus, ut loquimur, exercitiis vacare quotannis octo vel decem dies in secessu pio. Hujus tamen consuetudinis quodam quasi horrore perfulsus hoc anno, imperare sibi non poterat, ut abruptis suo more reliquis negotiis, notam peteret solitudinem, licet ad eam se interne pelli sentiret. Ter quaterve Nancejum hac mente venerat, ut sacrarum exercitationum moderatorem exquireret e collegio Societatis: semper redierat re infecta, ac ne verbo quidem de illa facto. Id cum animo suo reputans, facile intellexit vir prudens, tantam animi inconstantiam aliunde oriri non posse, quam a malo dæmone: ac forte, aiebat, magnum aliquid est quod dæmon tantopere conatur intervertere. Quo magis obnitendum contra existimans, adhibitis ultra usitatum modum precibus, victoriam de se demum retulit, petiitque e nostris aliquem, quo duce consuets B. Ignatii commentationibus exerceretur. Petenti datus est P. Joannes Fagotius, vir consilii singularis, & sæpe in hujusmodi ministerio cum laude versatus. Vix primos dies exegerat Carolus in pio secessu, ut lacrymas præ mentis dulcedine cohibere non posset. Animi suavitatem excepit desiderium vehemens vitæ sanctioris, cum certa deliberatione obsequendi in rebus omnibus divinæ voluntati, quoties sibi innotesceret. Nihil amplius confectum per illos dies. De mutando vitæ statu nihil tunc quidem deliberatum. Virdunum reversus, totum se addixit Carolus implendis quam diligentissime posset officii sui partibus, *Factus*, ut ait Apostolus, *forma gregis ex animo*. Accidit paulo post, ut in collegio Societatis Virdunensi scenæ committeretur Alexius ex domo paterna profugus, cujus generis dramata passim edi solent a pueris apud nos litteris operantibus. Pio & jucundo spectaculo cum interesset Episcopus, novo repente, & inusitato pietatis ardore succenditur. Oculis licet in scenam defixis, pervolutat animo excellens illud christianæ virtutis exemplum, quod aspectui subiciebatur: exardescit imitandi studio: demum voto se obstringit, in religiose septa transiturum, si modo votum probaret arbiter conscientiam suam P. Fagotius, si Pontifex maximus pateretur. Ut audivit de voto nec opinato Fagotius, hæsit paululum incertus quid consulenti responderet. Mox ab hæsitacione se colligens: Mihi quidem, inquit, ista quam suscepisti mens manifestis in-

118.
Ut vocatus fue-
rit ad genus vitæ
sanctioris.

119.
Qua occasione
amplecti Socie-
tatem decreve-
rit.

indiciis videtur a Deo injecta. Ea vox homini nihil præter Deum intuenti omnem momento dubitationem exemit. Reliqua erat deliberatio de religiosa familia, cui se potissimum applicaret. Sed in hac re non fuit diu immorandum. De se enim affirmabat Carolus, quibus stimulis ad religionem se ferri senserat, iisdem semper & unice ad Societatem fuisse propulsum.

Misso ergo Nancejum Fagotio, qui Lotharingiæ ducem arrepti consilii certio-rem faceret, datisque per tabellarium litteris ad Ludovicum Galliarum Regem, sibi ut liceret cum bona ejus venia Viridunenses infulas transmittere, Francisco fratri suo natu minori, hominem sibi fidum legavit Romam, ut rei exequendæ veniam a Pontifice exoraret. Dux difficilem se præbuit initio, multaque per aliquot dies molitus est, ut eum a proposito dimoveret. At Gregorius Pontifex, quod plane mirum, ejus confestim annuit precibus, nec audito, ut moris est, Purpuratorum consilio. Quin eidem per litteras amantissimas valde est gratulatus, quod induxisset animum splendorem aulæ cum paupertate Christi commutare, idque laudavit nominatim, quod Deo militare constituisset in Societate Jesu. His acceptis litteris, Carolus dimisit illico opima, quibus instructus erat, sacerdotia, & testamentum condidit, cui subscribens exclamasse fertur: *Utinam hoc puncto temporis amplissimas Ecclesiæ dignitates, atque adeo regnum opulentissimum possiderem! Quam libenter omnia dimitterem Christi gratia!* Post hæc perfunctus omnibus quæ agenda erant Nancej, Viridunum perrexit, clero plebique suæ supremum vale dicturus. Præcesserat ejus adventum fama securæ mox perpetuæ separationis, nec est dictu facile quantus ob eam rem moeror occupasset amantissimam pastoris sui civitatem. Tali exceptus est omnium comploratione, tot pulsatus querelis, ut ipse profusus deinde sit, si qua re a proposito flecti posset, hac una maxime potuisse. Sed tandem victor omnium, quibus ejus constantia tentabatur, Romam magnis itineribus venit. A porta urbis recta contendit ad Mutium, ejusque pedibus advolutus, ut se postredie tironibus aggregaret, suppliciter petiit. Prius tamen quam vestem mutaret, adiit Pontificem maximum, tum officii causa, tum præsertim ut ei gratias persolveret pro facta sibi potestate abdicandi episcopatus. Venientem excepit Gregorius, ut talem virum decuit, perhonorifice: ac post multa ultro citroque jactata, affirmavit, deliberatum sibi fuisse eum propediem legere in Cardinalium senatum, nisi ipse raro virtutis exemplo paupertatem Christi purpuræ, & cunctis humanis opibus prætulisset. Gratias egit pro tam benevola erga se voluntate Carolus, precatusque Pontificem, ut sibi novum vitæ cursum ingredienti bene precaretur, regressus est ad S. Andreae, eademque die inter tirones est cooptatus. Oblatam Societatis tunicam tam cupide arripuit, toties, ac tam suaviter exosculatus est, ut Patribus, qui circumfusi aderant, multum lacrymarum excusserit. Nec vero de hoc animi ardore remisit aliquando. Annis aliquot præterlapsis audierat ex amici cujusdam litteris, rumorem increbuisse in aula Lotharingica, se minus tranquille vivere in Societate, ac supponitè jam consilii sui. Rescripsit ad eundem libere, non modo falsa esse quæ jactabantur, sed præterea se, si nondum esset in Societatem receptus, nec recipi aliter posset, quam usque ad Japones peregrinando, nihil dubitaturum sortem hanc optatissimam usque in Japoniam per sexcenta vitæ pericula quæsitum ire. Addidit, nec recusaturum se remigum ministerio addici, ut Societatis veste donaretur. Adeo de suo statu judicium non mutaverat. Sed de rebus Gallicis satis multa. Ad Hispanicis convertamur.

Provinciae Beticæ collegium additur Carmonense, quodque admireris, collegium condi jubet is, a quo nonnihil impedimenti metuebatur. Urbs est Carmona ditionis Hispalensis, minoris illa quidem quam olim amplitudinis, tamen nunc etiam nobilis, & satis culta. Censum alendæ justæ familiæ constituerat ibi ante biennium Petrus de Hojos honestissimus civis, nihil amplius nobis injungens oneris, nisi ut intra annum proxime secuturum aperirentur Carmonæ gymnasia latinitatis. Cum obstare ejus menti videretur edictum recens, ne in tota Hi-

To. I.

Bbb 2

spa-

120.

Facultatem impetrat dimittendi episcopatum.

121.

Romam venit, & recipitur inter tirones.

122.

Ejus præclari sensus de religiosa vocatione.

123.

Res Beticæ. Carmonæ collegium conditur.

124.
Ortus Collegii
Anticariensis.

125.
Cur illi negata
sliquandiu scho-
lae.

126.
Quæ nunc con-
ceduntur.

127.
Collegium Con-
ceptionis Hispa-
lenſe amplifica-
tur.

128.
RES TOLETANÆ.
Rex offert So-
cietati gymna-
ſium omnium
diſciplinarum
Matriti.

ſpalenſi præfectura novum ullius ordinis domicilium conderetur injuſſu regis, eamque ob cauſam noſtri rem protraherent, citatur præter ſpem a regio Senatu Præpoſitus provincialis Franciſcus Alamanus ad dicendam cauſam, cur intra tempus a fundatore præſinitum magiſtros latinitatæ non dediſſet Carmonenſibus? Ille, qui nihil mallet, ſine mora collegium Carmonæ poſuit, & ludum litterarium aperuit. Sub idem tempus magiſtros litterarum obtinuit etiam Anticaria, nobilis civitas regni Granatenſis. Philippus Martinus Alvarez ante annos novem ſine liberis moriens, teſtamento condito erigi juſſerat Societatis collegium Anticariæ, in quo Profeſſores alerentur tres, duo latinitatæ, tertius philoſophia: ſic tamen hæredem ſcripſerat Societatem, ut quamdiu viveret ipſius uxor Aloyſia de Medina, penes eam bonorum uſuſfructus eſſet. Non tulit Aloyſia publicum, ut ajebat, civitatæ beneficium ampliari uſque ad ſuum obitum: ſed tradita jam tum Societati bonorum parte, collocandam Anticariæ curavit ſedem ſtabilem ſociorum, meruitque aſſiduitate & magnitudine beneficiorum, ut inchoati collegii mater appellaretur. Quod tamen rogabat, ut in eo duaſ grammaticorum claſſes aperirentur, per diu a Præpoſito Generali impetrare non potuit. Cauſam repulſa dederant Canonici, ſcriptis ad Mutium communibus litteris, quibus ſignificabant, magiſtrum a ſe conductum docere annum jam vigintiſimum quartum, nec fas videri, illo ſuperſtite, ac docere pergente, alias inſtituere ſcholas, unde veteri profeſſori quæſtus periret. In eandem ſententiam ipſe ad Mutium perſcripſerat ludimagiſter, addens, eſſe ſibi parentem anum, fororem viduam, neptes innuptas duas; nec aliud inopi familiæ præſidium ſuppetere, præter mercedes menſtruas, quæ ſibi a diſcipulis penderentur. Movebant hæc ſane Mutium, eoque obſtiterat de ſcholis, illo vivo, nihil conſtituere. At Aloyſiam angebant querelæ civium ſubinde occurrentium, vix non inutilem eſſe Societatem Anticariæ, niſi teneram ætatem inſtituendam ſuſciperet: pueros ex ludo publico non plus litterarum, quam vitiorum referre: plures civium eſſe, qui mallent ſuos liberos adoleſcere ſine litteris, quam illic erudiri. Accedebant aliorum malignæ voces, & amarulentæ. Præclaram enim, vero amicam Jeſuitarum, & collegii parentem, quæ ita merita de Societate, & eo nata loco, minus poſſet apud Præpoſitum Generalem, quam pedagogus, homo trioboli. Quibus nonnihil exacerbata mulier, ita nunc ſcripſit ad Mutium, ut viſum non ſit ejus petitionem ultra repellere. Datæ itaque ſunt hoc anno collegio Anticarienſi ſchola, eaſque regius Senatus ratas eſſe ac firmas juſſit. Et quia præterito tempore Canonici abſtulerant a rege diploma, ne quis præter illum veterem ludimagiſtrum doceret litteras Anticariæ, ipſiſ ſuum diploma obtendentibus reſpondit Senatus, eo non comprehendendi ſcholas Societatis. Eodem anno Gonzalus de Ocampo Canonicus Hiſpalenſis, & mox Limanus in Peruvia Archiepiſcopus inauguratus, inſigniter amplificandum curabat collegium a ſe conditum Hiſpali ſub invocatione B. Virginis ſine labe conceptæ. Edixerat olim ut in eo collegio, præter aliquot de Societate, alerentur externi juvenes omnino viginti, ſacræ militiæ deſtinati. Jam vero expertus per decem annos, quam præſtantes ex illo ſeminario prodiſſent Sacerdotes, quantaque inde utilitas, non ſolum in civitatem, verum etiam in pagos & oppida circumpoſita promanſſet; quo major eſſet alumnorum numerus, cenſum antea conſtitutum auxit novo proventu, & novas ad habitandum ædes cum apto templo extrui juſſit.

Interea vero opus multo excellentius Matriti Philippus Rex moliebatur. Conſilium ceperat erigendi gymnaſium, in quo omne genus bonarum artium explicaretur, ne iis quidem exceptis, quæ pertinent ad vitam aulicam, remque militarem, & nauticam. Utque Societatem plurimi faciebat, hanc unam elegerat, cui tantæ molis negotium imponeretur. Quam ſerio ageret princeps munificentiffimus, juvat colligere ex ipſiſ litteris ad Mutium datis pridie Nonas Novembres. Iſ litteris rex, deliberatum ſibi eſſe ajebat domicilium omnium diſciplinarum condere in urbe ſua Matritenſi, Cogitanti vero quam mul-

multi essent in Societate viri egregii, & quam prompta illi voluntate Deo sibi-que inservirent, visum esse novi gymnasii administrationem omnem Societati permittere. Excitandum proinde ædificium, quod se auctore dignum esset, & imperialis collegii ædibus adjunctum iri, quo commodius uni eidemque restori subjici posset. Tum pluribus Mutium ad opus strenue capeffendum cohortatus, his verbis sua manu exaratis claudere epistolam: *Valde cupio opus hoc esse per quam magnificum: ac propterea tibi etiam atque etiam mando, ut in eo me pro viribus adjuves.* Mutius, tametsi perhonorificum videret esse Societati consilium regis, eique pro tam benevola voluntate gratias prolixè ageret, rem tamen suo more, non ex prima duntaxat specie, sed ex natura totius negotii reputans, adduci omnino non potuit ut oblato beneficio uteretur. Nam, præterquam quod erant in illo genere disciplinarum aliqua ab institutis hominum religionum aliena, & quas minime omnium decere existimabat homines Societatis, præter inquam hæc, non satis probabat rationem a regis ministris initam ad constituendos census tam grandi operi necessarios. Dum enim parcere volunt arario regis, redditus novi gymnasii ex parte maxima locandos censebant in mercimoniis indicis, in monopolio librorum, in multis depeculatorum, aliisque hujus generis vestigialibus, partim incertis, partim odiosis, & quibus non posset honeste Societas uti. His ergo de causis, quas Comiti Olivario fufe explicandas curavit, diserte negavit Mutius posse se pati, ut ejusmodi gymnasii administrationem Societas reciperet: nec vero ejus constantia regem, etsi præconcepti operis cupidine summe flagrantem, offendit. Res tunc dilata quem deinde habuerit exitum, memorabimus suo loco. Interim cœpta est ædificatio regis basilicæ, quam regis amita Maria Augusta addi collegio imperiali a se fundato jusserat supremis tabulis. Ceremonias, quibus ex instituto Ecclesiæ solent initia templorum dedicari, augustiores fecit præsentia sua Rex, lauta magnatum turba stipatus. Preces super primum fundamenti lapidem peregit Patriarcha Indiarum, præsentibus regii sacelli sacerdotibus, & symphoniacis. Nihil denique neque ad splendorem, neque ad dignitatem factum est reliqui. Postridie vero quam hæc acta sunt, nuncius venit ab urbe Roma, Ignatium, & Franciscum Xaverium rite relatos fuisse inter sanctos, quo nihil accideret Hispanis optatius poterat. Celebritas itaque superioris diei præludium fuit quodammodo aliarum multo illustriorum, quibus, cum Matritenses, tum ubique locorum Hispani suis quondam popularibus, nunc patronis, novos honores gratulari instituerunt.

Verumtamen cæteris Hispaniæ populis, si non pomparum magnificentia, certe studii magnitudine præcesserunt in provincia Castellana Varduli, sive, ut nunc appellantur, Guipuzcoani, & Navarræ, quorum primi Ignatio, alteri Xaverio cive gloriantur. Nil opus est explicare per partes, quas lætitiæ significationes utrique ediderint. Sed præteriri non debent novæ documenta pietatis, qua suum quique civem venerari coeperunt. Navarræ, secuti exemplum ecclesiæ Pampilonensis, Xaverio sese in perpetuum clientes jurejurando devoverunt. Longius provecta est pietas Vardulorum adversus Ignatium. Accepto nuncio novæ qua insignitus fuerat dignitatis, præter publica gaudii signa, quibus cæteros Hispaniæ populos anteverterunt, in communi gentis consilio Tolosæ habito multa ad ipsius cultum amplificandum decreverunt. Illud primo sancitum, ut in omnibus provinciæ oppidis altaria erigerentur in honorem Ignatii. Deinde, ut ejus imago in prætorio cujuslibet urbis collocaretur, & palam affixa servaretur. Præterea, ut in posterum omnes de Societate, utpote civis sui tam illustri filii, civitate donarentur. Postremo provinciæ suæ patronum elegerunt S. Ignatium, diem ejus anniversarium inter feriatos habendum censuerunt, statueruntque rogandum esse Pontificem maximum, ut hoc decretum juberet ratum ac firmum esse. His nequaquam contenti, egerunt cum Mutio per litteras, ut Societati acquirendas curaret aedes Loyolæas in territorio Azpeitiensi positas, ac B. P. Ignatii natalibus consecratis. Stimulis quantum ad hoc Mu-

129.
Oblatum respuit Mutius, & quare.

130.
Ibidem inchoatur templum collegii imperialis.

131.
RES
CASTELLANÆ.
In Navarra & Guipuzcoa, cultus SS. Ignatii & Xaverii amplificatur.

132.
Ædes Loyolææ diu a Societate expetitæ.

Mutius non indigebat. Vix accepto clavo Societatis, eam curam habuerat inter præcipuas: sed quamquam omnia conaretur, voti tam iusti potens nunquam est factus, ob causas nunc indicandas. Domum, de qua sermo est, possidebat jure hæreditatis femina nobilissima Magdalena Ogenes Borgia, vidua toparchæ Fontisaldaniæ. Nata erat pia mulier ex Joanne filio S. Francisci Borgia, & ex filia fratris S. Parentis Ignatii: cujus duplicis agnationis vinculo innexa Societati, eam prope ut matrem diligebat, ornaveratque jam multis & maximis beneficiis. Novissime, ut cumulum beneficentiæ imponeret, etsi adhuc in spe vitæ longioris, testamentum condiderat, & honorum omnium, de quibus jubendi potestas ipsi erat, hæredem scripserat Societatem. At enim de ædibus Loyolæis statuere pro arbitrio non poterat. Computabantur quippe in fortem hæreditatis commissâ fidei majoris natu familiæ Loyolensis, de qua Magdalena nefas erat diminuere sine permisso regis. Itum ergo est ad regem: sed dum res in regio consilio disceptatur, aliisque ex aliis suborientibus causis protrahitur, decessit mulier optima re infecta: qui vero creverunt hæreditatem, per annos amplius quinquaginta nunquam adduci potuerunt, ut ejus rei gratiam facerent Societati. At tandem anno ejusdem sæculi octogesimo secundo, regnante Carolo II. sub tutela reginæ matris Mariæ Annæ Austriacæ, Theresia Henriquez de Velasco, uxor Ludovici Marchionis de Alcagnizes, ad quam Loyolææ familiæ jura devenerant, ut reginæ gratificaretur, domum illam, avitæ hæreditatis partem, permisit arbitrio regis: qui non modo eam tradidit Societati, verum etiam collegium addidit splendidissimum, de quo alius erit dicendi locus. Cæterum, etiam si domus illa in Societatis potestate non esset, jam ab annis pluribus cubiculum, in quo B. Pater dum curaretur ex celebri suo vulnere, mentem ad cœlestia converterat, mutatum fuerat in sacellum, & magna populi frequentia celebrabatur. Hoc vero anno incredibiles ad illud facti concursus. A die Ignatii anniversaria usque ad octavam, tanta hominum multitudo confluit ad percipiendum in eo plenariæ, ut loquimur, indulgentiæ beneficium, ut intro pervadere difficillimum præ turba esset. Aderant, præter operarios aliquot Societatis, plurimi variorum ordinum Sacerdotes audiendis confessionibus occupati: Omnes testati sunt postea, nunquam se alibi tantam poenitentiam criminum, totque animi vere dolentis indicia deprehendisse. Quarum rerum fama permotus Mutius, impetravit a Gregorio Pontifice, ut eandem indulgentiæ formulam singulis deinceps annis pro eodem tempore ac loco valere juberet.

Dum sic ibi colitur Ignatius, Flavionaviæ (portus est in ora maris Cantabrici, quem modo Santanderum appellant) malus ipse dæmon, vellet nollet, coactus est tum de ipso, tum de Francisco Xaverio verum & honorificum testimonium dicere, Mulier genere rusticano, sed notæ probitatis, ab annis fere viginti energumena, duris identidem ac miseris modis exercebatur a vexatore diabolo, maxime vero per dies anni sacratiores, quos illa dies solebat religiose transigere. Malum possessorem excutere aggressus P. Petrus Escuderus, post adhibita incassum solemnia exorcismorum carmina, mulieris fronti admovet chi-rographum nescio quod Ignatii, & Xaverii epistolam: simul diabolo fugam per utriusque nomen & sanctitatem indicit. Stridere ad hæc improbus, ac terrifico ululatu vociferari: amoveret insecta monumenta hominum, quorum nec nomen ferre posset: esse eos sibi plus nimio notos, & supra modum invisos: *Quantas, ajebat, ab his clades accepi! Quot mihi animas ex ipsis unguibus eripuerunt!* Addidit, si nosset homines quem illi locum dignitatis obtineant inter superos, multo studiosiores in eorum cultu fore. Nec tacuit de sua in nostrum ordinem malevolentia, conquestus palam inimicissimos sibi esse homines Societatis, se vero pro viribus conari, ut mortalium plerisque ab eorum commercio averteret. Quæ & similia locutus, spumas agens abscessit, relicta inter oppidanos opinione ingenti, tum de Ignatio & Xaverio, tum etiam de Societate. Idem paulo post Escuderus, cum alio Sacerdote egressus e col-

133.
Non acquiruntur, nisi tempore Caroli II. Regis.

134.
Concursus facti ad cubiculum S. Ignatii hoc anno.

135.
Testimonium dæmonis de SS. Ignatio, & Francisco Xaverio.

legio Santanderensi ut opus evangelicum faceret, intraverat ad oppidum haud satis celebre in valle, quam Cabuernigensem vocant. Vix exorsus erat ad populum verba facere, cum mulier e conferta turba clamorem infantum tollere, & obstrepere dicenti coepit. Vulgo putabant eam furere, & sic affici vitio cordis. Concionator, subesse aliquid gravius suspicans, pro potestate sacerdotali nescio quid tacite præcepit dæmoni, exploraturus utrum vere amens, ut putabatur, an energumena esset. Fecit imperata mulier: sed mox ululare ferocius & insanire, donec eluctata sex mulierum robustissimarum manus, templum omne terrore ac metu complevit. Urgebat exorcismis dæmonem Escuderus, ut mulierem missam faceret. Hæc contra torvis illum oculis, & minaci vultu contuens, rogabat, quin tandem abiret in malam rem cum suo sodali, sineretque incolas ejus loci res suas agere? Tum sermone ad circumfusam multitudinem converso: Equidem, inquit, cur hic otiosi confideatis non intelligo: quid demum relaturi domum, nisi inania concionatoris verba, & meras fabulas? Sive hæc revera loqueretur infernus spiritus ore mulieris, sive mulier dæmonem imitaretur, mirum ut oratio perculerit universos. Facile sibi persuaserunt oppidani, magnum aliquod bonum esse, quod tam ægre haberet malorum omnium artificem. Hinc semen divini verbi prioribus animis exceperunt, tantoque pietatis ardore incaluerunt, ut magnitudo fructus in illo oppido spem Patrum excefferit. Tamen, ut hoc obiter notem, mulier a malo spiritu liberari non potuit. Inter hæc novum provinciæ domicilium succrevit in regno Legionensi. Petrus Toledus, vir æque pius ac nobilis, sedem Societati certam cum apto censu paraverat villæ Franchæ, in oppido suæ ditionis, urgebatque Præpositum provinciam Melchiorrem de Pedrosa, ut in ejus possessionem mitteret exiguam manum sociorum. Id ne fieret, obstabat regis decretum recens, ne qua usquam religiosorum familia sedem de novo conderet per decem annos, nisi permisso supremi Senatus, qui quidem in ea re haud facilem postulantis se præbebat. Tamen viro tali gratificari studens Provincialis, tres eo misit Sacerdotes tanquam in evangelicam expeditionem, & ut meros longioris temporis hospites: quibus usitata Societatis ministeria cum magna civium utilitate obeuntibus, post septem annos jus domicilii concessum est. Itaque, etsi aliquanto serius constitutum fuerit collegium villæ Franchæ, hunc tamen annum institutionis suæ primum numerat.

Idem annus in provincia Aragonensi natalis collegii Vicensis fuit. Vicum appellant nunc indigenæ urbem Cataloniæ nobilem, Aufam antiquis dictam. Assumptus fuerat ad insulas Ausenses Andreas Guffrozus, vir amantissimus Societatis, qui primo bonis artibus apud nos eruditus, deinde monachum apud Hieronymianos professus, benevolentiam semel erga nos hausitam nunquam deposuerat. Unum dolere solebat identidem, quod receptus olim in Societatem, ab ea tamen ineunda fuisset matris consiliis abductus. Idem nunc deliberatum habens collegium Societatis Vici ponere, cum nondum præstare posset fortem operi perficiendo necessariam, impetravit a provinciali Petro Gilo, ut interim tres quatuorve socios tanquam in statione collocaret Vici, quibus ipse domum, & sacram ædem, ac demum cætera de quibus convenerat mancipio dedit. Tum summam quam pactus erat æquis pensionibus persolvens, effecit intra annos tres, ut existeret collegium numeris omnibus absolutum. Circa idem tempus agebatur, ut etiam Dertusæ Societas domicilium figeret. Nam cum per autumnum anni superioris eo advenissent nostrorum duo, & usitata Societatis ministeria strenue per dies aliquot obiissent, tantam excitaverant, non modo opinionem, verum etiam cupiditatem sui, ut civitas quocunque fortunarum dispendio evocandam ad se Societatem putaret. Res ut facilius conficeretur, civium locupletissimi chirographo spondebant, se alendis in perpetuum quinque vel sex nostri ordinis viris necessaria præbituros. Sed dum responsa Præpositi Generalis expectantur, coacti Dertusani sumptum ingentem facere in suo prima-

136.
Conatur dæmon sacræ missionis fructum intervertere.

137.
Inchoatur collegium villæ Franchæ.

138.
RES ARAGONIENSES.
Collegii Vicensis initia.

139.
Agitur de collocanda Societate Dertusæ, sed sine effectu.

mario templo, quod vetustate dirutum de novo extruendum erat, nobis promissa præstare non potuerunt.

140.
RES SARDINIÆ.
Seminarium
Calaritanum So-
cietati commit-
titur.

Calari in Sardinia conficitur hoc anno seminarium pro adolescentibus Ecclesiæ addictis, & Societati committitur. Ejus erigendi consilium inierant ante octo annos Archiepiscopus Franciscus de Esquivat, & Magistratus urbis, (Juratos appellant), egerantque cum nostris ut ejusdem administrationem reciperent. Nostri tunc paucitatem excusantes suam, oblatam procuracionem cum magna gratiarum actione declinaverant. At nunc cum essent aucti numero, instante iterum Archiepiscopo & Magistratu, illam sub certis conditionibus admiserunt. Conductis itaque ædibus pro numero alumnorum, quos gratis educari placebat, x. Cal. Februarii excipiuntur ad convivendum sub disciplina Societatis delecti adolescentes. Iis deinde plures aggregati fuerunt ex nobilioribus regni familiis convictores, cum hoc tamen ut stipendium pro alimentis solverent. Vestigial alumnis sustentandis pro majori parte collatum est a civitate: quod deerat, Rex & Archiepiscopus expleverunt. Quod dum ita seminarium ibi constituitur, in Sassaritano nonnihil turbarum fuit ob causam modo explicandam. Seminarium istud ab octo annis fundaverat Antonius Canopolus Archiepiscopus Oristanensi, jusseratque inter alumnos perpetuo recipi saltem tres ex archidiocesi Oristanensi, quos Archiepiscopus designasset. Eam tamen addiderat legem, ut non reciperentur, nisi essent jam per inferiores disciplinas cum laude traducti, & spem minime dubiam facerent, superioribus quoque addiscendis idoneos fore: quod solius rectoris arbitrio judicandum permittebat. Legem suam inviolate servaverat fundator seminarii Canopolus. At novus Archiepiscopus Oristani Laurentius Nicetus, æquum existimans, a se delectos haberi pro idoneis, proindeque sine ulteriori cujuspiam disquisitione recipi in seminarium; vix into pontificatu misit adolescentes duos cum litteris ad rectorem, ut prætermisso omni alio experimento eos statim admitteret, quippe judicio suo satis probatos. Plenus tunc erat pro vestigialium ratione numerus alumnorum. Quare ambo remissi sunt Oristanum. At per eam occasionem rector modeste commonefecit Præsulem, potestatem judicandi de puerorum, qui recipiendi essent, litteratura ad se unice pertinere. Pupugit ea res Archiepiscopum. Illatam sibi injuriam ratus, acriores scripsit ad rectorem litteras, misitque alios duos, qui similiter fuerunt repulsi. Hoc magis Archiepiscopus excaudescere. Purgante licet factum rectore, non verborum officio tantum, sed etiam rationibus honestissimis, minime placabatur. Tamen sive edoctus causa veritatem, sive rectoris obsequio delinitus, ab incepto destitit, perrexitque rector in probandis rejiciendisque seminarii candidatis uti jure suo.

141.
Rector seminarii
Sassaritani jus
suum tuetur.

142.
RES LUSITANIÆ.
Commissarius
bullæ cruciatæ
rem tentat a no-
stris moribus a-
lienam.

Graviores interea nobis controversiæ fuerunt in Lusitania cum Pontificio ministro, quem bullæ cruciatæ Commissarium nuncupant. Ampla est ejus potestas muneris, qua fratus qui hoc anno erat in magistratu, quædam aggressus est a nostris rationibus alienissima. Ea nunc ego paucis expediam, a re momenti levioris initium ducens. Commissarii est pendentibus certam stipem distribuere diplomata quædam privilegiorum, quæ avidissime a populo exquiruntur. Hæc porro diplomata ut distribui possent commodius, constituerat Commissarius mensam ponere in templo nostro Ulyssiponensi, cum arcula, in qua collata pecunia servaretur. Reclamabant vehementer nostri, & legem domesticam excipiebant, ne qua ejusmodi arcularum habeatur in templis Societatis. Ille nostram legem nihili faciens, regium nomen & auctoritatem interponebat. Quod enim pro bulla solvitur, transit in ararium regis, impenditurque ornatissimis classibus adversus hostes christianorum. Verumtamen Rex, ad quem delata causa cognitio, legem ab illo contemptam jussit fartam testamque servari. Fraudatus exitu consilii sui, eoque nobis infensior Commissarius, rem inceptam multo graviolem, sed pari eventu. Inter privilegia bullæ cruciatæ illud est sane maximum, ut cuique liceat sibi legere de legitimis poenitentiarum ministris quem

143.
Patrocinium sus-
cipit falsæ opi-
nionis circa u-
sum bullæ.

quem maluerit, per eumque possit absolvi ab omni genere criminum, eorum etiam, quæ Romani Pontifices in universa Ecclesia, & Episcopi in suis singuli dioecesibus sibi cognoscenda reservaverint. Jam ergo ejusmodi privilegio contendeat Commissarius, frui posse, ac porro debere etiam religiosos: eorum autem præpositos in communi deterrebat, ne sibi subjectis essent impedimento, quominus hac parte Pontificiæ concessionis uterentur. Non deerant sane apud nos, qui Commissario in hac re consentirent. Et si enim multo ante Gregorius XIII. diserte constituisset, nullis omnino privilegiis nostros uti posse injussu Præpositi Generalis, & recentius Paulus V. declarasset, hominibus Societatis ad eligendum pro arbitrio confessarium nequaquam suffragari bullam cruciatæ; quia tamen bulla hæc singulis instaurari iustis, ac veluti de novo concedi solet, contendeant aliqui, superiorum Pontificum decretis minime circumscribi novam, eamque amplissimam concessionem in bulla contentam, neque huic per quæcunque anteriora statuta derogari existimabant. His rebus cognitis Mutius, ne paucorum opinio paulatim invalesceret, & in mores induceretur, decretum abstulit a Gregorio Pontifice, ne cui nostrorum obtentu bullæ cruciatæ jus esset ad poenitentiam ministerium aliis uti Sacerdotibus, quam quos designassent præpositi Societatis: qua deinde lege successor Gregorii Urbanus teneri voluit omnes omnium ordinum religiosos.

Lusitanæ Societati plures decesserunt hoc anno viri posteritatis memoria dignissimi. Primum non immerito sibi locum vindicat P. Ægidius de Abreu, patria Campomajorensis. Exceptus in Societatem anno labentis sæculi undecimo, post confecta studia graviora in Japoniam navigabat, eo tractus animarum studio, & cupiditate martyrii. Dum transit per Javam insulam, quam novam Bataviam vocant, capitur ab hæreticis ad fretum Sincapuræ, & Jacatram trahitur, urbem Batavici prætoris sedem, ac totius orientis emporium celeberrimum. Ibi, licet nullius compertus criminis, nisi quod Sacerdos Romanus esset, in arcem conjicitur, compedibus oneratur, biennium integrum squalore carceris, fame, ac siti maceratur. Molestias istas, aliasque a militibus indignitates Abreus mira constantia perferabat. Et quia laxius custodiebatur interdum, occasione captans exercendæ charitatis, catholicos una vinculos audiebat pro confessione, piis colloquiis recreabat, æternæ vitæ præfidiis munit, custodibus vel non sentientibus, vel conniventibus. Ausus demum est ipsos cohortari Batavos custodes suos, ut veritatem catholicam amplecterentur: verum id illi capitale fuit. Efferati hæretici, quod homulus in sua potestate positus, ac vilis, ut aiebant, Papiста tantum auderet, irruunt in eum ferociter, ac fustibus dire contusum macerant. Ita occubuit vir præclarus, nactus inter Europæos beatam pro Christo necem, quam inter Japones quæsitum ibat. Quo potissimum die necatus fuerit, mihi est in obscuro. Ex aliis, quos eodem anno Lusitania desideravit, laudatos præcipue invenio PP. Christophorum Goveam, Amatorem Rebelleum, & Antonium Vasconcellium. Govea patria Portuensis, præter plures alios magistratus laudabiliter obitos, præfuerat provinciæ universæ: Brasiliensem vero cum inspectoris potestate administraverat, tanta laude sapientiæ & probitatis, ut Claudius Generalis edixerit in perpetuum ejus provinciæ rectoribus, ne quid ex omnibus ab illo constitutis mutatum vellent. Obiit Ulyssipone in domo professorum, Idibus Februariis, annos natus amplius octoginta, non tamen canitie, quam religiosis virtutibus venerabilior. Ejus parens Henricus Nunius S. Franciscum Borgiam exceperat domi suæ, in qua factum deinde est collegii Portuensis initium. Rebelleus prima litterarum rudimenta tradiderat Regi Sebastiano, cumque aulam pro ratione sui muneris tandiu frequentasset, tamen inde integrum extulerat studium religiosæ paupertatis, & candorem animi nullis fucatum artibus aulicorum. Vixit in Societate annos sexaginta quatuor, quo toto tempore contestabantur Patrum gravissimi, nunquam sibi visum iratum, aut de quopiam conquerentem auditum. Natus erat in dioecesi Portuensi. Occubuit ad Nonas Maji in collegio Ulyssiponenfi.

T. I.

Ccc

Va

144.
Decretum Gregorii Pontificis contra illam.

145.
Necatur ab hæreticis P. Ægidius de Abreu.

146.
Mors & elogium P. Christophori Goveæ.

147.
Et P. Amatoris Rebellei.

148.
Et P. Antonij
Vasconcellii.

149.
RES GOANÆ.
Nostrorum ex-
peditio in Ar-
mutiam cum re-
gia classe.

150.
Exiguntur Ar-
mutia Lusitani,
Nostrum rem for-
titer gerunt.

151.
Quæ regio sit
regnum Idalca-
nis,

Vasconcellius vitam religiosissime actam, & per plures præfecturas egregie tractam clausit Eboræ III. Idus quintiles. Ætate cum esset jam devesa, & podagra impeditus, nec posset per usitata Societatis ministeria servire rei publicæ, totum se ad scribendum contulit. Edidit autem duo volumina de Angelo tutelari, ac de regno regibusque Lusitaniæ commentarios omnium iudicio laudatos, Hactenus de rebus Europæ.

In Asiam properanti occurrunt statim duæ insignes expeditiones ab urbe Goa susceptæ, terrestres altera ad proximum regnum Idalcanis, altera navalis in Armutiam. Ut de hac posteriore dicere incipiam, compertum fuerat Goæ, percussisse arcanum inter se foedus Persas & Anglos per ea loca negotiantes; foederis vero leges esse, ut hi maritimis copiis, illi terrestribus adorirentur Lusitanos, eosque conjunctis viribus pellerent ex arcibus, quibus Armutiam, & ostia sinus Persici occupabant. Hæc ut audita Goæ, raptim paratur classis militibus & armis instructa, & mittitur in Armutiam, ut in rebus dubiis præsidio sit. Classi, prius quam vela faceret, impositi fuerant duo Sacerdotes Societatis, tum ut classariis & nautis sacrorum ministri essent in itinere, tum ut exscensione facta illum regionis tractum excolerent. Quamdiu navigatum est, non facile dixerim quam feliciter laboraverint nostri, quam promptos ad pietatis officia, & obsequentes habuerint omnes. At non eadem agendi facultas fuit apud Armutianos. Templo, ubi sua ministeria exercerent, nescio quorum æmulatione caruerunt, tecto etiam carituri, nisi hospitium illis benigne præbuisent sodales a misericordia nuncupati. Nihilominus aggressi ad populum verba facere in foro, & in compitis, colonis probati sunt usque adeo, ut aliqui potentiorum de Patribus perpetuo retinendis deliberarent. Verum inter hæc Persæ, inita, uti dixi, belli societate cum Anglis, eorumque navalibus adjuti copiis, omnia disturbaverunt. Primo impetu potiti castello Lusitanorum, quod situm erat in proxima Kesemi insula, atque inde magnis viribus in Armutiam egressi, prædas egerunt, agros & oppida ferro flammaque vastaverunt, postremo arcem præmunitam, in qua rei summa versabatur, obsidione cinxerunt. Arcem milites pariter & coloni tuendam susceperant magno animo. Tamen, prævalentibus numero & ferocia hostibus, post dies ferme septuaginta deditionem fecerunt. Hoc medio tempore, cæteris sacrorum ministris fuga dissipatis, soli propugnatoribus adstiterunt duo, quos dixi, Patres Societatis: quoties vero conferta est cum hostibus manus, magno illis solatio fuerunt. Discurrebant per ordines militum: pugnantibus animum addebant voce: fovebant curabantque saucios. Quod si muniendus esset locus, ipsi terram moliri ante omnes, comportare aggerem, primas laboris & periculi partes sumere, adversus famem, & sitim, & vigiliis, cæteraque longæ obsidionis incommoda animo & corpore peræque invicti: ut mirum fuerit, tamdiu ambos incolumes tot inter labores, & sexcenta mortis pericula perstitisse.

Paris laboris latiore exitum habuere qui in regnum Idalcanis profecti sunt. Est illud unum ex amplioribus, in quæ divisum haud ita pridem fuerat imperium Decanenſe, cum satrapæ, ejecto legitimo principe, alii alias peramplicæ regionis partes invaserunt, & totidem sibi regna constituerunt. Nomen sumpsit ab Idalcane, filio & hærede illius, qui primus provinciæ tyrannidem occupavit. Situm est prope montes Gates, quorum perpetuo jugo ab aquilone in austrum porrecto bifariam dividitur Indica Chersonesus, iisque clauditur ab oriente. Finitimos habet Malabares a meridie, a septentrione Cambajam: alluitur oceano ab occasu. Incolæ partim idololatæ, partim de secta Mahometis: hi vero, propterea quod eandem superstitionem sequitur Rex, opibus præstant. Porro Goensibus, aliisque Lusitanorum coloniis multum incommodabat propinquitas Idalcænsium, cum alias ob causas, tum ob eam maxime, quod transfugis patens ibi semper erat, tutumque perfrugium, quoties aut ferri sævitiam dominorum pertimescerent, aut fontes effugere legum severitatem vellent. Ita deinde in illa barbarie vivebant christiani, quippe omni religio-
nis

nis cultu destituti, ut non raro eorum inter quos versabantur superstitionibus, moribusque consuescerent. Hæc reputantes Patres Goani, ante annos quatuordecim par sociorum in regnum Idalcense miserant cum legato proregis Indici, ut si Rex, quod sperabatur, potestatem manendi faceret intra regni fines, ad usum christianorum domicilium sibi, atque ædem sacram pararent. Rex Idalcensis, indolis haud quaquam pravæ juvenis, nostrorum preces initio acceperat non invitus. Sed ubi ad rem ipsam ventum est, aulicis, quorum consiliis regebatur, diversa suadentibus, spem fefellit. Æquum sibi videri dixit, paribus inter se conditionibus uti Christianos, & Mahometanos: se proinde libenter Patrum postulata facturum, si vicissim Indiarum prorex pateretur, Mahometis antilites ædem habere Goæ, ubi suum cultum exercerent impune. Quo responso admoniti Patres, nihil spei reliquum esse in regno Idalcensis, re infecta redierunt. Post illud tempus negotium christianorum ibi misere pereuntium pene pro desperato habebatur. Tamen hoc anno resumit cum placuisset, iterum sunt missi duo, qui proximam regni oram legentes, cognoscerent de christianorum statu, iisque opitulandi aliquam rationem inirent. Profecti illi sunt in veste Societatis, sine regis comætu, sine viarum duce, divino tantum fratri præsidio: quodque fidem prope superat, vicos omnes & oppida maritimæ oræ, adversante nemine perlustrarunt. Inventos ubique christianos ante omnia liberarunt metu, ne per vim abducerentur. Tum eosdem cohortati, ne oblatam expiationis copiam præterlabi sinerent, plerosque obsequentes ac dociles habuerunt. Postremo cum ex ipsorum narratione comperissent, intra fines regni passim vagari christianorum capita fere viginti millia, eorumque plurimos in Lusitanorum ditionem reversuros, si liceret impune, Goam cum magno fructu, & majori spe redierunt. Irrita non fuit spes. Ut innotuerunt Goæ quæ per eos gesta, quæque comperta fuerant, mirifice incensum sunt ejusdem missionis studio sodalium animi. Decernitur statim, ut exeunte Aprili prioribus adjungantur alii duo Sacerdotes, & in eandem expeditionem exeant. Exierunt pariter, progressive in interiora regionis, usque Visaporum ad ipsam regni sedem pervaserunt. Rex de novis hospitiis perferutatus, ut accepit ejusdem esse familiæ, cujus ante quatuordecim annos duo ad se venerant, nec aliud eis esse propositum, quam ut christianorum saluti consulerent, id enim vero gratum sibi esse testatus, ut in regno suo consisterent permisit, & liberi comætus litteras petentibus benigne concessit. Qua re plurimum recreati Patres, operi manum admoverunt liberius, alacriusque. Christianos locis omnibus perquirebant: hos ad fidem, illos ad pœnitentiam hortabantur: nec vero surdis canebant. Auditum secundissimis auribus animisque, brevi tempore plurimos transfugarum cum Deo conciliarunt, non nullos etiam interposita fide publica Goam adduxerunt.

Haud segnius interim in ipsa urbe Goa desudabant reliqui focii, ut sequiora hominum exempla delerentur. Mitto cætera eorum quam simillima, quæ in his annalibus sæpius occurrunt. Unum præterire non debeo, quod recens in perniciem morum invecum, nostrorum opera extinctum est. Transgressæ Goam femina mahometanorum plurimæ, ad corrumpendos juventutis mores nequitia ludum aperuerant non minus exitialem, quam publicum, incluserantque in eadem flagitiorum officina ingenuos adolescentes, ut ex ejus ætatis flore nefarium quæstum facerent. Sedebant ipsæ pro foribus cum ornato meretricio, transeuntibus insidiabantur, juventutem incautam omni blanditiarum genere ad libidinem prolectabant. Res erat plena dedecoris, & periculi. Exarsit, ut negotii gravitas postulabat, studium nostrorum Patrum, nec anteconquievit, quam a magistratu pulsa fuerunt nocentes feminae, & exhausta penitus illa civitatis sentina. Eodem anno tres ethnici ex ipsis pene orci faucibus vindicati, cœloque transcripti memorantur. Damnatis monetario crimine parabatur Goæ rogos, nec tamen flecti poterant ullo modo, ut Christi fidem susciperent. Actum omnino de miseris erat, nisi eorum pervicaciam superasset

To. I.

Ccc 2

con-

152.

Vetera nostrorum incepta in illo regno, atque irrita.

153.

Ibi nunc duo Patres fructuosa missione funguntur.

154.

Adjunguntur illis alii duo, & rem utiliter gerunt.

155.

Goæ publica peccandi occasio sublata.

156.

Tres ethnici proxime ante mortem baptizati.

157.
Pretiosa mors
juvenis inno-
centissimi.

158.
ACTA
IN ÆTHIOPIA.
Imperator ob
vanas suspicio-
nes irascitur Ce-
la-Christo.

159.
Eo mox in gra-
tiam recepto,
rem catholicam
tueri pergit.

160.
De sacra mensa
participat ritu
catholico.

constantia nostri Sacerdotis, qui nullo repellentium fastidio victus, tandiu institit rogare ac monere, donec omnes pariter ferociam posuerunt, fidemque & baptismum susceperunt. Producti ad pyram, supplicii atrocitatem tali mentis habitu subierunt, ut vulgo crediti sint inter flammam, non tam vitam, quam mortalitatem exuisse. His juvat attexere quod de ingenuo quodam adolescente litteræ tradunt. Benzulini, qui vicus est frequens in peninsula Salsettana, decumbebat egregia fama juvenis, gravi morbo confectus. Ut se proxime moriturum senlit, Societatis Sacerdotem vocari propere ad se iussit, apud quem noxas totius antea vitæ deponeret. Erat annorum circiter viginti. Cum vitam omnem a prima usque pueritia retexuisset, Sacerdos in ejus actis nihil reperit noxæ gravioris. Quam in tam lubrica ætate innocentiam pro merito demiratus, quæsit ex eo, quasnam præsertim artes, quod præsidium ad sui custodiam adhibuisset? Cui ille: *Hoc, inquit, si quid id est, totum debeo Societati, a qua primam institutionem accepi*. Perrexitque recensere quæ puer a Patribus didicisset, præsertim de cultu Virginis, utque eam quotidiano obsequio sibi propitiare consuevisset. Inter hæc, licet animam agre traheret, visus repente hilari vultu renidere, quasi novum aliquod spectaculum objiceretur. Percunctante Sacerdote, quid rei esset? *En, inquit, adstat Angelus tutularis*. Nec ultra locutus, extremum spiritum duxit. Sed ad res Æthiopicæ aggrediamur.

Initio anni trepidatum non nihil est inter catholicos in Æthiopia. Nam cum tota ferme religionis spes niteretur concordia Imperatoris, ejusque fratris Cela-Christi, hanc vasseri quidam hæreticorum ut abrumperent, Seltanum falsis suspicionibus impleverant, quasi vero Cela-Christus res novas moliretur regni cupidine, & obtentu belli contra Galas gerendi, ad regiam opprimendam accederet cum exercitu. Id mortalium nequissimi adeo persuaserant principi, ut jam fratri, tanquam hosti manifesto, cum infestis legionibus obviam iret, cladem innoxio, & nihil tale metuenti illaturus. Primos furentis impetus continuit P. Antonius Fernandez, cujus voce admonitus Imperator, nihil temere in re tanti momenti festinanterque suscipiendum, quievit, donec, revulsis penitus ex animo suspicionum aculeis, recepit fratrem in gratiam denuo, & quod erat optandum maxime, cum illo vires & arma conjunxit. Nihil accidere commodius poterat, cum publicæ tranquillitati, tum causæ catholice, quam ut fraternæ acies unum in exercitum coalescerent. Adversarii post hæc ferociam abjicere, pene rebus suis desperare. Imperator contra, animo viribusque auctus, religionis negotium agere confidentius. Convenerant apud aulam primores omnium provinciarum. Eos die quadam Seltanus in communi alloquens, sermonem induxit de controversiis fidei, professusque palam duas esse in Christo naturas integras atque perfectas, sabbati vero ferias christianis minime servandas esse: *Siquis, adjecit, in posterum aliam sequi volet credendi regulam, quisquis ille sit, pedem in regiam ne inferat. Illos ego honoribus cumulabo, qui mecum de religione consenserint*. Hæc dicenti acclamatum a cunctis. Nec sane parum valuit, præsertim apud nobiles, tam aperta principis denunciatio. Eadem die multi catholicum dogma privatim amplexi sunt, inter quos Diesmach-Bucous, vir opum maximarum, & Za-Selasse cognomento Moconus, frater Imperatoris: quos ideo singillatim nomino, quod cum antea catholicam veritatem acriter insectati fuissent, eorum inopinata transitio multis errorum magistris persuasit, ut mallent vera discere, quam falsa docere. Unum modo ad lætitiæ cumulum deerat, ut Imperator, non solum credendi regula, verum etiam sacrorum societate se cum Ecclesia Romana conjungeret. Seltanus enim, licet cætera orthodoxus, nondum hactenus apud nostros Sacerdotes conscientiam expiaverat, nec Christi corpus acceperat ritu catholico, prohibitus, ut ipse agebat, iustis & gravibus causis, re ipsa suis duntaxat vitiis & libidinibus, quibus matrimonii leges tanquam fræna cupiditatis abhorrebat. Respexerat ille quidem se ante quatuor annos, ut suo loco dictum est: sed mox mala victus con-

suetudine ad pristinam intemperantiam redierat. Tamen hoc anno, divina impellente gratia, cessit Fernandii suasionibus, non ultra protrahendam rem æternæ salutis adeo necessariam ostendentis. Signa moturus adversus Galas, misit prius Gorgoram ad P. Paezium mandata, ut properaret ad hostium fines, ubi castra facere constituerat. Affuit ad condictum locum Paezius: quo cum pariter advenisset Imperator, accidens ad ipsius genua, expiandum se præbuit, & superioris vitæ crimina multo cum fletu confessus est. Tum detersis conscientiæ maculis, processit ad Christi mensam, & sacram Eucharistiam sumpsit, spectante orthodoxorum innumera multitudine, & præ lætitia ubertim colla-crymante, quod eo primum die Imperator esset, non solum re, sed etiam hominum opinione catholicus. Namque ita arbitrabantur Æthiopes, tunc denique quempiam catholicum fieri, cum Christi corpus de manu catholici Sacerdotis acciperet.

Ejus gaudii pars præcipua contigit Patri Paezio, qui proinde, quasi votorum suorum summam consecutus, nihilque habens præterea quod in hac vita sibi exoptandum putaret, auditus est cum illud Simeonis carmen usurparet: *Nunc dimittis servum tuum Domine*: ac re ipsa post duos menses finem vivendi fecit, circa XI. Cal. Junias, annum agens ætatis duodesagesimum. Morienti causas contraxisse creditur in illa ipsa, de qua modo dicebamus, profectio-ne ad exercitum. Perrexit enim ea ætate senex perincommodo decem dierum itinere, per loca sole torrida, & quia feriæ esuriales agebantur, usque ad occasum solis jejunus, more Æthiopico. Iter vero idem relegentem adeo defecerunt vires, ut simul ac Gorgoram attigit, committere se lecto coactus fuerit, ex quo amplius non surrexit. Natus erat Paezius loco nobili Olmedæ in oppido Toletanæ dioceseos. Indiæ destinatus, datusque P. Antonio Monferrato comes expeditionis Æthiopicæ, captus in itinere a prædonibus Arabicis, & in servitutem abductus fuit. Diram captivitatem ad septennium produxit, partim inclusus ergastulo tenebricoso ac foedo, partim in triremi ministerio remigum addictus, semper catena constrictus, immaniterque vexatus. Pretio demum redemptus a prorege Indiarum, & reductus Goam, cum primum licuit denuo se dedit in viam, frustra que Turcis omnes Æthiopiæ aditus obtinentibus, post longam & incommodam peregrinationem, in Æthiopiam penetravit, ubi mansit deinde annos ipsos undeviginti. Quot labores hoc tempore exanthlaverit pro animarum salute, quot quantosque perceperit laborum fructus, satis ut arbitror colligi potest ex iis, quæ sparsim a nobis indicata sunt suis locis. At quibus virtutum exemplis eluxerit, quam effusa in cunctos benevolentia fuerit, quanta floruerit humanarum divinarumque rerum scientia, nullis consequi verbis possim. Documento fuerunt ipsi Æthiopes, qui præterlapsis temporibus Romanam fidem & Alcoranum juxta habere soliti, post auditum Paezium adeo mutati sunt animis, ut doctrinam ejus quamplurimi amplecterentur, omnes ejus mores laudarent, amicitiam ambirent. Ita cum in Æthiopia paucissimos invenisset professione catholicos, moriens reliquit ad multa milia, atque inter alios Imperatorem cum tota aula, præcipuisque tum civilium, tum militarium rerum præfectis: ut jam pars orthodoxorum, si non numero, opibus certe ac dignitate potior esset. Mortuum, tanquam communem parentem, plerique luxerunt. At Imperator tantum inde traxit sensum acerbitatis, ut toto die nec cibum, nec ullum animi aut corporis levamentum admiserit. Id sane ipse de se scripsit P. Fernandio, a quo nuncium de Paezii morte acceperat, diserte affirmans, nihil sibi tam diro nuncio tristius in omni vita accidisse. Idem anno proximo, ad P. Ludovicum Cardosum præpositum provincie Goanæ scribens, Paezium nominabat virtutis perfectissimum exemplar, & solem Æthiopiæ præfulgidum, fugandis errorum tenebris natum: *Cujus defectu solis*, addit, *talis lætitiæ nostram oppressit luctus, qualem olim fuisse crediderim Alexandria extincto Beato Marco, aut Romæ, duobus Apostolorum Principibus de medio sublatis*. Hæc princeps amantissimus, apud quem multo fuit diuturnior

Pae-

181.
Mors & elo-
gium P. Petri Pa-
ezii.

182.
Dolor Impera-
toris ex ejus fu-
nere.

Paezii recordatio, quam carissimorum quorumcunque capitum esse solet. Post illud tempus, quoties Gorgoranam ædem ingrederetur, post cultum Deo redditum, super Paezii tumulum prostrerni solebat in faciem, tum ut magistro olim suo honorem exhiberet, tum ut ejus acerbissimum desiderium quo poterat modo leniret.

163.
Insignis præstigiatoris supplicium.

Tali sublato viro, non propterea, quod erat metuendum, fidei progressus est retardatus. Subierunt in ejus locum sodales pari ardore studioque: atque ubi ceteri cessarent, cunctas operarii apostolici partes implebat egregie Cela-Christus, & eo quidem fructuosius, quo validius. Exemplo sit supplicium, quod de insigni quodam præstigiatore sumpsit. Versabatur inter Agaos circulator improbus, tanta apud vulgus fama, ut eum indigenæ passim divinis honoribus venerarentur. Multi miserabiliter decepti filios suos parvulos immolabant idolo, quod instar numinis circumferebat. Latebat tamen plerumque perfidus, nec se dabat in publicum, nisi inter rudes, aut sibi fidos. At suæ illum latebræ non satis texerunt vigilantia proregis. Hominem æque vanum ac noxium Cela-Christus perquiri diligenter jussit per suos satellites, qui inventum multis vulneribus confoderunt, & obruncarunt. Repertum cum eo fuerat signum idoli informe, ac luridum. Prorex illud palam exposuit multitudini, ut viderent cujusmodi monstro carissimos natos sacrificare consuevissent. Nemo antea audebat oculorum aciem in illud intendere: namque ita erat omnibus persuasum, reos fore sacrilegii, si tale numen vel unico obtutu violassent. At nunc, comperto quam misere sibi fuisset illusum, inane figmentum pedibus conculcare gestiebant. Tandem male multatum igni tradiderunt. Eo Prorex non contentus, struendam sumpsit inter Agaos ædem sanctissimo Jesu nomini consecratam, suisque ipse humeris in fundamentum novi ædificii lapides convectavit triginta tres, pro totidem nempe annis, quibus humana salutis Reparator inter homines vixit. Addidit templo domum idoneam, cum ingenti prædio, quod satis esset alendis pueris sexaginta ex Agais & Galis, quorum ibi seminarium institui voluit. Quippe vir prudens, & amplificandæ firmandæque in Æthiopia religioni sedulo intentus, satis intelligens non posse ex Europa suppleri numerum ministrorum, qui in tanta populorum multitudine requirebantur, instituendos censebat ex ipsis indigenis quamplurimos, qui successu temporis eadem ministeria capefferent. Et vero, gliscente in dies messe, operarii minuebantur. Vix dum effluxerat quintus post obitum Paezii mensis, cum subito casus Æthiopiæ ac vitæ abstulit P. Antonium Franciscum de Angelis, unum ex utilissimis illius agri cultoribus. Excurrebat, uti solebat identidem, e statione Colelana ad Agaos. Inde redux, dum Nilum vadando trajicit, fluentis impetu provolutus rapiebatur, absorbendus omnino, nisi advolassent celeriter comites, ac semimortuum in ulteriorem ripam extruissent. Ita servatus utcunque est, sed non diu. Ex illa undarum jactatione plus nimio debilitatum oppressit febris, & paucos post dies vix Colelam ingressum extinxit, xii. Cal. Novembres. Oriundus erat Florentia, natales habuerat Neapoli. Æthiopiæ datus, sedem Colelæ fixerat in regno Gojamensi, ubi quam multa præclare feliciterque gesserit, quam latas præsertim fruges ex Agaorum gente collegerit, in superioribus libris sparsim indicavimus. Addimus nunc, cæteris quoque Æthiopum plurimum profuisse Patrem de Angelis, translatis in gentis linguam utilissimis libris, qui cum legerentur passim, & toto imperio volitarent, multis viam agnoscendæ veritatis monstraverunt. Virtutes omnes ac dotes, quibus instructos esse oportet Evangelii ministros, erant in eo summæ. Sui per omnia negligens, ac miro studio divini nominis propagandi flagrans, nullum pro tam illustri causâ laborem periculumve refugiebat. Erat idem moribus innocentissimis, & nativæ oris hilaritate omnibus per jucundus.

164.
Cela-Christus puerorum seminarium excitat inter Agaos.

165.
Obitus & elogium P. Antonii Francisci de Angelis.

Eo mortuo, reliqui erant ex nostris in universa Æthiopia haud plures quatuor, sane pauci, cum præsertim Fernandus, & Azevedus, ætate graves, & laboribus attriti, non viderentur magnitudinem oneris diutius toleraturi.

166.
Latinus Patriarcha Æthiopiæ diu negatus.

Qua-

Quare litteris Goam, & Romam usque missis, non cessabant exposcere sociorum auxilia, quæ submissa videbimus paulo inferius. Instabat præterea Imperator, ut mitteretur aliquando tandem in Æthiopiam latinus Patriarcha, cujus præsentiam arbitrabatur magni ad summam rei momenti fore, dolebatque rem adeo necessariam, totque a se litteris expetitam, sine causa differri. Sed Romæ satis iusta putabatur differendi causa mobilitas ipsa, levitasque Æthiopum, qui cum antea Patriarcham Oviedum summis precibus petiissent, missum cum insigni contemptu repulerant. Id merito verebatur Pontifex ne denuo fieret, proptereaque paulo cunctantius sibi in eo negotio agendum putabat. Præter hæc Pæzius, reputans vires haud satis firmas Imperatoris, scripserat sæpe Romam ad Mutium, nullo modo mittendum Patriarcham, nisi cum valido Lusitanorum præsidio: secus, adventum ejus occasionem fore seditionum, bellorumque civilium. Illum tamen reperio ab hac sententia discessisse paulo ante obitum, cum auctus præter modum erat numerus catholicorum. Tunc si veniret Patriarcha, licet sine externo milite, fauste utiliterque adventurum, & cum honore excipiendum scribebat. Duæ igitur potissimum causæ Romanum Pontificem retardaverant hætenus, ne audiret Imperatoris vota: primum gentis in commutanda religione inconstantia: deinde infirma, & veluti precaria Imperatoris ipsius auctoritas, atque ex populi libidine factionibusque suspensa, quibus rursus objicere Patriarchæ dignitatem & caput pigebat. Sed nunc, rebus in Æthiopia commutatis, alia Romæ judicia. Nam cum Imperator, cæsis perduellibus, & pacato regno, satis sibi firmasse vim imperii videretur, pars autem catholica magno censeretur numero, & viribus prævalleret; etiamsi Philippus Rex promissos Imperatori milites, (quippe Batavis difficili bello Indiam prementibus) dare non posset, visum non ultra differre quod tanto ardore exposcebatur. Decernitur itaque Romæ novus Æthiopum Patriarcha: cujus electio pro antiquo jure Regum Lusitaniæ cum spectaret ad Philippum Regem Catholicum, is sine anni designavit e nostra Societate P. Alphonsum Mendez, virum insigni religione, divinisque & humanis litteris egregie excultum, qui tunc sacros codices explanabat in Eboresi academia. Designationem approbavit Pontifex Gregorius, missisque apostolicis litteris, Alphonsum eundem Mendez Patriarcham Æthiopiæ renunciavit. Datus illi est adjutor, futurusque successor P. Jacobus Secus Covillanensis, & Episcopi Nicæni titulo insignitus: vir hic etiam theologica scientia clarus, & id temporis in collegio Romano librorum censor pro Lusitania. Designatus præterea qui Nicæni Episcopi locum, si quid illi accideret humanitus, impletet, P. Joannes a Rocha Ulyssiponenis, qui divinam scientiam tradebat Ulyssipone in collegio Antoniano, isque Episcopi Hierapolitani titulo consecratus. Atque ita demum unus Patriarcha, & Episcopi duo Goam vela fecerunt cum aliis septendecim de Societate, quorum magna pars in Æthiopiam mittebatur. Prius quam hæc agerentur, Mutius proficisci jusserat in Æthiopiam P. Emmanuelem de Almeida, tum ut gratias ageret Imperatori pro sua in nostrum ordinem beneficentia, tum ut socios ibi degentes cum extraordinaria inspectoris potestate visitaret. Goa solvit Almeida cum tribus sociis, Emmanuele Barrada, Ludovico Caldeira, & Francisco Carvallo. Sed quia Æthiopiam nisi post quindecim menses non attigit, ommissa tantisper ejus navigatione, quæ reliqua sunt hujus anni de provinciis Asiaticis & Americanis exequi pergam.

Dictum est alibi, Malabaricæ Societati restitutas aliquando tandem fuisse curias oræ Piscariæ, & Travancoris. Jam ut ad easdem redeamus, dici vix potest, quam afflictæ utrobique inventæ fuerint sacræ ædes, ac prope perditæ. Quæ mediterraneæ, partim æquatæ solo erant, partim ruinosa. Quæ propius mare, utcunque stabant: verum aliæ valvis, aliæ tectis nudatæ, omnes oppletæ sordibus, & varii generis suppellectili, quam nostri multorum annorum studio paraverant, spoliatæ, vix antiqui splendoris vestigium retinebant. Prima nostrorum cura fuit, ut sarcirent collapsa templa: tum ut priora ornamenta re-

167.
Conceditur nunc, & eligitur P. Alphonsus Mendez.

168.
Qui cum duobus Episcopis adjutoribus Goam petit.

169.
In Æthiopiam solvit P. Emmanuel de Almeida cum sociis tribus.

170.
RES MALABARICÆ.
In ora Piscariæ & Travancoris Ecclesiæ sarcuntur.

re-

171.
Labores socio-
rum in Ceyla-
no.

172.
P. Antonii Ru-
bini mansuetu-
do memorabilis.

173.
RES JAPONICÆ.
Crudescit per-
secutio ob ad-
ventum duorum
religiosorum.

reficerent, & speciem divinæ religionis ad nitorem pristinum revocarent, quem in usum primos ecclesiarum proventus contulerunt. Cæterum quanto amplius acceptum fuerat detrimenti in fide & moribus christianorum, tanto plus operæ & laboris in his reparandis impensum est: nec vero frustra. Effectum brevi ut indigenæ, non tantum nomine, sed etiam scientia fidei, & vitæ moribus christiani viderentur, ac porro essent. Per idem tempus in Ceylano numerabantur Ecclesiæ undeviginti, Societatis curæ commissæ. Præerant illis undecim delecti Sacerdotes, qui cunctas ministerii sui partes graviter ob-euntes, non solum custodiebant, ut par erat, solerter creditos sibi greges, ve-rum etiam novis subinde incrementis illos augebant. Intra hunc annum ethnico-rum supra septingentos ad Christum adduxerunt. Præcipuo fructu consueta Societatis peragebant Patres collegii Columbensis, æque solliciti de fide inter ethnicos, ac de pietate inter christianos amplificanda. Eminebat studio divinæ gloriæ rector collegii P. Antonius Rubinus: in eam vero curam intento occa-sio oblata est, ubi quam verbo docebat charitatem & mansuetudinem, re etiam & exemplo persuaderet. Clericus Columbi erat famæ sequioris; ferebaturque cum muliercula familiarius agere quam deceret. Accidit, ut in nostro templo spectaculum neseio quod sacrum ederetur a scholasticis. Spectatum cum venisset inter alios ille quem dixi clericus, confedit prope amiculum illam suam, non sine stomacho & offensione reliquæ multitudinis, tantam tali loco impuden-tiam non ferentis. Rei admonitus Rubinus, adit hominem, rogatque submis-sa voce, ut absistat paululum, & in aliam templi partem concedat. Paruit tunc quidem ille: at adversus monitorem, ut putabat, injuriosum exarsit, ac de ultione deliberavit. Occasionem captanti occurrit post paucos dies Rubi-nus, dum forte extra collegium progrediebatur. Infilii in eum clericus incre-dibili immanitate: immotus silentemque omnibus verborum contumeliis ap-petiit, demum suste graviter cecidit. Rubinus, mente atque ore peræque im-motus, percussori improbo gratias egit haud minus comiter, quam si beneficium debuisset: quo patientiæ experimento visus proludere ad illud grande certamen, quo deinde in Japonia, ut suo loco narrabitur, de atrocissimo supplicio triumphavit.

Et siquidem Japoniæ incidit mentio, fuit hic annus ex omnibus illi Ec-clesiæ cruentissimus. Æram martyrum appellant, ob eorum qui supplicio fue-runt affecti numerum, & dignitatem. Quis turbo novam hanc tempestatem ex-citaverit, ego ita referam sine cujusquam injuria, ut alii ante me litteris tra-didere. Nauclerus gente Japon, professione christianus, nomine Joachimus, Manila Japoniam repetens, vehendos acceperat Patres Petrum a Zunica Au-gustinianum, & Ludovicum Flores ex ordine Prædicatorum, mercatorum veste indutos, & avidos martyrii. Emensus feliciter maximam itineris partem, in-piraticam Batavorum incidit prope Formosam insulam. Cum ab ea nec fuga, nec armis tueri se posset, nihil aliud pactus quam vectorum vitam, prædoni-bus se permisit. Batavi oneraria potiti, dum per eam prædabundi discurrunt, & omnia diripiunt, reperto in sarcinis duorum religiosorum instrumento sacri-ficali cum aliis instituti religiosi notis, nihil dubitarunt religiosos eos esse, & Japoniam petere in veste non sua, ut vigilantiam magistratuum fallerent. Læ-ti præda portum Firandensem subeunt, & regulo significant, a se comprehen-sos adduci religiosos viros, ingens Imperatori munus. In terram expositi duo quos dixi religiosi, de se omnino negabant quod Batavi tanquam certum af-firmabant: neque id tamen declinandæ necis studio, sed liberandi periculo navarchi Joachimi, cui certa perniciēs imminebat, si constaret ab eo acceptos in navim fuisse viros religiosos. Dum custodiuntur, nec utrum vere religiosi essent, nec ne, ullo certo documento revinci potest, adest ab Imperatore mandatum, ut ex carcere Omurano tres diverforum ordinum religiosi addu-cantur Firandum, qui de duobus suspectis advenis recens in Japoniam adve-ctis interrogentur. Lecti sunt ad hunc usum ex Dominicanis Franciscus Morales,

ex familia S. Francisci Petrus de Avila, Carolus Spinula de Societate. Prodeuntur in medium suspecti mercatores. Quos ut vidit Spinula, diserte negavit sibi visos aliquando vel cognitos, quippe qui annis viginti pedem e Japonia nunquam extulisset. Idem ferme affirmantibus cæteris, depulsum periculum videbatur. Tamen Zuniga, ut qui gravioribus premebatur indiciis, jurare cogitur, nec sacerdotem se esse, nec religiosum. Id modo juraturum respondit, se christianum esse. Inde suspicio gravior. Nec interim levis offensio apud neophytos, quasi victus metu Sacerdos, necemque reformidans, verum prodere non auderet. Id inter se reputantes religiosi, quos ex carcere Omurense adductos dicebamus, copiam sibi fieri postulant cum eo colloquendi remotis arbitris. Quo impetrato, homini nihil præter naucleri periculum metuenti significant, sequioris exempli fore, si diutius pergeret dissimulare conditionem suam. Eateretur ergo quod erat libere: suam & naucleri causam Deo permitteret. Oratione permotus Zuniga, non solum de se ultro confessus est, verum etiam confessionem exceptam litteris proprio chirographo confirmavit, id unum precatus iudices, ut Joachimum navicularium, vectoresque, quorum duntaxat causa hætenus reticisset, noxa eximendos curarent. Laudata est responsi fides & æquitas. Duplicantur Zunigæ vincula. Spinula cum suis comitibus Omuram remittitur.

Restabat Ludovicus Floresius, de quo cum adhuc ambigeretur, & levia essent indicia, decretum est ut asservaretur in vinculis Firandi, negligentius tamen, ac tanquam in honesta custodia. Audivit hoc P. Didacus de Collado Floresii in Japonia præpositus, ac versare animo cœpit, si qua posset sodalem suum periculo eripere. Eum milites adeo indulgenter & incuriose servabant, ut potestatem subinde illi facerent spatiandi in proximo littore, intra certos tamen cancellos. Nihil accidere poterat opportunius ad consilia Colladi. Naviculam, remiges, & neophytorum expeditam manum parat Nangasachii. Tum captato tempore, quo Floresium in littore inambulare norat, appellere jubet remiges ad oram Firandensem, cui carcer imminebat, monetque ut perfractis primis repagulis, abripiant hominem incustoditum, imponant lembo, & velis remisque fugiant. Se prope adfuturum spondet in alia navicula. Consilium utcumque audax successu non caruit initio. Floresium abduxerant jam neophyti: sed dum aufugiunt, quantumque niti remigando possunt, festinant terram capere; ecce tibi a tergo celox remigibus, & armato milite instructus fugacem lembum insequitur, eumque celeriter assecutus, grandinem telorum in pavidos, & longe viribus inferiores effundit. Periculo exanimatus Floresius, quiete jubet comites, & militibus in prædam cedit. Colladus haud procul in scalmio suæ molitionis exitum opperiebatur: sed visis quæ gerebantur, seque a satellitibus conspectum sentiens, ejecit se prope in littus, ubi silvæ latebris tectus perquirentium manus evasit. Interea qui Floresium exportabant neophyti, vix non fustibus confecti perierunt. Furentes milites alloquio placavit ipse, unum se reum clamans, cujus causa cæteri deliquissent. Addidit, quod minime quærebatur, se religiosum & sacerdotem esse. Milites plus multo quam sperabant consecuti, repetunt portum ovantes. Floresius oneratur vinculis. Imperator de re tota confestim admonetur. Haud facile explicari possit, tyrannum ut irritaverit hic nuncius, qualesque illi, satis jam perniciem christianorum anhelanti, faces admoverit. Exclamat ira exæstuans, patere aliquando tandem sacerdotum Europæorum consilia: effractis carceribus, nihil jam superesse, nisi ut occupent Japonicos portus, invadant regiam, seque de folio deturbent. Conrocuum Nangasachii gubernatorem, qui tum forte aderat in aula, minaci oratione objurgatum, quasi negligentia sua ansam istis sceleribus daret, Nangasachium jubet revolare, ac nulla interposita mora duos illos religiosos, cum navarcho Joachimo, vivos concremare: vectores, & nautas in eodem repositos navigio, ferro perimere: præterea mactare ac perdere viros omnes religiosos, quicumque Nangasachii, vel Omuræ in vinculis essent: trucidare illos.

Tō. I.

D d d

rum

174.
Quæstio Firandi instituta ad eos dignoscendos.

175.
Unius generosa confessio.

176.
Alter ex fuga retrahitur in carcerem.

177.
Imperatoris ob tentatam ab illo fugam incredibilis furor.

rum hospites & receptatores, hospitumque uxores, liberos, ac vicinos. Hoc fulmine centum & viginti capita paucis diebus ceciderunt.

178.
Viri quindecim
necantur Nan-
gafachii.

Conrocuus enim Nangafachium reversus, nihil distulit furibundi regis imperata facere. Primis beata fors gloriosæ necis obtigit Ludovico Florenso Dominicano, Petro Zunigæ Augustiniano, & Joachimo nauclero, quos Prætor vivos comburi jussit xv. Cal. Septembris. Stetere medios inter ignes viri fortes duarum horarum spatio immoti, defixis in cœlum oculis, velut sensus omnis & doloris expertes. Eadem die Ferdinandus Civerez Hispanus, & alii undecim, partim nauta, partim vectores, capite truncati fuerunt. Nondum plane compertum erat, quæ Rex gubernatori mandasset. Tantum vulgo increbuerat, illam quindecim martyrum eadem atrocioris crudelitatis initium fore.

179.
Religiosi dili-
gentius conqui-
runtur.

Auxit suspicionem, quod eadem die curiosius molestiusque quam unquam antea satellites irrumpere cœperunt diversas christianorum domos, ut religiosos, sicubi laterent, investigarent. Dux prædonum Petrus Antonius, christiani sacerdotii macula, labesque Ecclesiæ Japonicæ, qui anno ante hunc tertio captus, & in Omuranum ergastulum sacerdotii causa detrusus, ejurata fide, pejo rem omni carcere libertatem mercatus fuerat. Vir æque impius & impudens gloriabatur, si quis religiosorum alicubi delitesceret, hunc se certissime deprehensurum. Nullum tamen hoc tempore deprehendit, licet nostri christianorum ades eo circumirent diligentius, quo magis operam Sacerdotum tempus poscebat. Quare Conrocuus, ludere se operam in aliis conquirendis dolens, & jussa regis explere festinans, satis amplam sæviendi materiam censuit religiosos viginti quatuor, christianosque unum & triginta, jam pridem vel religionis, vel religiosorum causa victos, tum eorum conjuges liberosque, capita omnino quin-
quaginta quinque. Omnes barbarus capite damnavit: utque augeter terrorem, uno die ac loco supplicium de tot innocentibus sumi jussit.

180.
Damnantur
religiosi vigin-
tî quatuor,
ex quibus no-
vem de Socie-
tate.

præsnita, quæ fuit iv. Idus Septembres, educuntur ex ergastulo Omurano religiosi vigin-tiquatuor, quorum novem de Societate, reliqui ex aliis ordinibus. E nostris duo Sacerdotes erant, Carolus Spinula, & Sebastianus Kimura: novitii septem, Petrus Sampo, Gonzalus Fusajus, Michael Xumpo, Antonius Chiunius, Thomas Acafoxius, Joannes Chungoquus, & Ludovicus Cavara. Tres istos postremos nuperrime jussus fuerat a Provinciali Præposito P. Spinula in Societatem recipere, quippe dignos, & probatos satis in ipso carcere. Processit Nangafachium versus beata cohors, ex Omurano carcere in navim, & navi in equos sarcinarios imposita. Præibat tribunus militum cum armato agmine, ad vim, si qua pararetur, arcendam. Sequebantur victi, quorum turmam ducebat Spinula. Unicuique restis innexa collo, & appositus lateri tortor, qui funis caput extremum manu teneret. Interjecti promiscue milites concurrentem populum submovebant. Claudebant agmen lecti centuriones cum expeditis equitibus. Fuit tamen qui, perrupto audacter custodiarum ordine, accessit ad Kimuram, & obtentu nescio quo, calceamenti partem gladiolo abscidit, inter sacra servandam. Viro nomen Leo, qui felicior ejus operis mercede quam fructu, haud multo post eodem mortis genere occubuit. Solent Japones, superba & militaris natio, ut mortem contemnere videantur, illam excipere, non lato solum vultu, sed cultu quoque corporis, & amictu quam ornatissimo.

181.
Procedunt ad
necem tanquam
ad triumphum.

Hunc secuti morem, & multo quidem convenientius, quicumque pro Christi fide capitalem subibant poenam, prodire consueverant ad supplicium quam possent splendidissime vestiti: eaque mente Spinula dederat operam, ut sibi & Kimura conficerentur amicula duo linea, & candida, qui vulgo Sacerdotum in templis amictus est, cum sacræ carimonix quidpiam obeunt. Vexillum etiam curaverat elaborandum e panno pulcherrimo, in quo medio sanctissimum Jesu nomen cum prominentibus circum radiis depictum esset. Hoc manu gestare labarum cogitabat cum Nangafachium ingrederetur, hoc mediis in flammis sublimè præferre. At Conrocuus haud immerito veritus, ne triumphî speciem id haberet, neve religioni christianæ inde peteretur gloria, unde ipse perniciem
& igno-

& ignominiam quærebat, ostendi quidem Spinulæ vexillum, & quæ dixi indumenta passus est, iis tamen uti non est passus. Verum his etiam demptis, haud absimile triumpho diceres illud Christi militum iter. Undique concursus e vicinis civitatibus & pagis, læti undique clamores plaudentium, laudantium, bene precantium. Ipsæ lacrymæ, quas commiseratio, gaudium, & admiratio eliciebant, pompæ non indecora pars erant. Monebant populum martyres, ut christianam fidem ad extremum usque spiritum retineret, neu frangi se ulla acerbitate temporum sineret. Preces denique omnium flagitabant, quarum ope daretur sibi facultas certandi fortiter, & vincendi.

Collis est vicinus Nangasachio, peninsula in morem procurrens in mare, quem multorum martyrum cædibus consecratum christiani novo nomine sanctum appellabant. Cum placuisset hic locus ad sumendum supplicium, convenerunt millia christianorum facile triginta, præter infinitam advenarum, & indigenarum multitudinem. Christianos adesse quamplurimos gaudebat Conrocuus, quo plures terrerentur. In colle summo, ubi modica planities aream patentem explicabat, visebantur stipites quinque & viginti, ad quos alligandæ erant devotæ flammis victima. Populum ab hac planitie discludebat septum e multiplici compactum palo: tum legio militum undique circumfusa. In editiori quodam loco exstabat instratum Sinensi tapete tribunal, in eoque sublimis cum corona judicum Suquendajudonus, cui prætor Conrocuus feralis tragœdiæ curam commiserat. Non continuo admissi sunt intra septum Omurani pugiles: expectabantur enim e custodiis Nangasachiensibus christiani unus & triginta, quorum plerique obruncandi, quidam cremandi erant. Simul ac isti ex adverso venientes conspecti sunt, haud facile dixerim, ut omnium in se oculos traxerint, utque animos intuentium mixto miserationis & gaudii sensu commoverint. Accessere lætabundi, eoque ornatu corporis, ut appareret, mortem illis triumphum esse, non poenam. Latissimus præsertim accidit utriusque agminis occurfus, his atque illis invicem sibi gratulantibus, quod nunc socii gloriosæ mortis, & mox perennis vitæ futuri essent. In patentem aream introducti sunt universi, omnino quinque supra quinquaginta; quique rogo destinati erant, ad suum singuli stipitem a licitoribus adstricti fuerunt. Solebant antea Japones, cum cremandus erat quispiam, uliginoso luto funes perungere, ne flammis tam cito absumerentur. At cum anno superiore Christianus quidam lenti cruciatus impatiens vincula concussisset, iisque summa vi ruptis e media flamma semiustulatus exiliisset, exinde institutum, ut christiani deinceps alligarentur mollius remissiusque, ut esset scilicet potestas erumpendi major, si quem animus in tormento deficeret. Id modo servari placuit: atque utinam effectu stratagema improbum caruisset. Processit omnium primus Spinula, insigni lætitia & gravitate, quamvis macie & pædore diuturni carceris horridus: completensque paratum sibi stipitem, decenter adeo ac pie illum est deosculatus, ut inter lacrymas gemitusque confusæ multitudinis eruperit ipsorum ethnicorum clamor, tantam in tam acerba mortis expectatione constantiam admirantium. Ut paulum tumultus conquievit, attollens vocem, psalmum *Laudate Dominum omnes gentes* inchoavit: quem secutus religiosorum chorus, prævit iis qui spectatores aderant christianis. Sacro carmine recitato, idem Spinula oculos ad tribunal, cui proximis constiterat, vocemque convertens, Suquendajudonum, & assidentes illi iudices in hunc modum est allocutus. „ Facile potestis intelligere ex ea, quam ad necem crudelissimam affarimus alacritate, utrum huc per sexcenta pericula venerimus ad regna armis invadenda, ut nescio qui didicant, an potius ad commonstrandam vobis æternæ vitæ, ac regni cœlestis viam. Peritura regna, opes caducas, honoresque fluxos, & brevi interituros quarere non docet christiana religio, sed spernere: nec certe vestra captamus bona, qui nostra sponte dimisimus. Vos ipsos, animas vestras, & salutem quærimus, cujus nulla post hanc mortalem vitam spes, nisi Christi cultoribus est. Quos videtis ignes, illorum rudis pictura sunt,

To. I.

D d d 2

„ qui-

182.
Supplicii locus,
& apparatus.

183.
Conveniunt in
eundem locum
christiani unus
& triginta pari-
ter necandi.

184.
Religiosi alli-
gantur ad palos
remissius, ut
possint fugere.

185.
Singularis forti-
tudo P. Caroli
Spinulæ.

186.
Ejusdem oratio
ad iudices assi-
dentes.

quibus torquebuntur quicumque falsa numina venerantur. Nos quamlibet acerbis, tamen brevi supplicio defungemur, æternis in cœlo gaudiis munerandi. Cæterum nolite arbitrari, absterrendos hoc nostro tam horribili cruciati præcones divinæ legis. Novos illis ad bene de vobis merendum additis stimulos: nec enim iis quidquam potest optatius evenire, quam pro Dei sui gloria, pro salute vestra vitam profundere. Quod si quis tamen ex nobis non eandem retinebit, quam reliquis adfore confido, magnitudinem animi, & firmitatem; erit æquitatis vestræ mortalis naturæ imbecillitati nonnihil ignoscere. Neque enim ex ære aut ferro conflata sunt hæc corpora: vestris quam simillima sunt, & ad omnem doloris sensum aptissima. Plus igitur apud vos valere debet multorum fortitudo & fides, quam paucorum, si qua erit, imbecillitas atque perfidia. Cur hæc addiderit, postea compertum est. Ad christianos deinde converso vultu, illos acri oratione ad tuendam moribus & vita fidei sanctissimæ dignitatem est cohortatus.

187.
Triginta
obtruncantur.
Quadrupli pueri
constantia admirabilis.

Dum ita loquebatur Carolus, applaudebant oculis, ac ridente vultu socii gloriosæ necis, quorum alii stabant revincti palis, quippe comburendi, alii capite plectendi genibus nitebantur. Ab his posterioribus initium sacrificii factum. Ora omnium ad se rapiebant pueri diversæ ætatis, & unus maxime annorum quatuor, Ignatius nomine, olim a P. Carolo baptizatus. Ejus matrem Elisabetham Fernandem conspicatus Spinula, quæsit ex ea, ubinam suus esset Ignatiolus? Interjecta enim lignorum strues ne pulsio cereretur obstabat. Quem mater sublatum inter manus, & bellissime vestitum ostentans: *En illum*, inquit, *mi Pater. Mori mecum gaudet. Ac libenter ego quidem duas res, quæ mihi carissimæ erant, Deo meo immolo, vitam, & filium.* Mox puerulum contuens: *En*, ait, *qui te filium Dei fecit, ac vitam dedit multo meliorem ista, quæ modo est finienda. Huic te nate commenda, utque tibi benedicat precare.* Flexit genua puer, & complicatis manibus matri paruit. Quo spectaculo permota multitudo, lamentabile sustulit murmur, & seditionis metum incussit. Quare, omni abrupta mora, lictores carnificinam sunt aggressi. Tria quatuorve capita acinace immiti decussa ceciderunt ante pueruli pedes, nec ille tamen se commovit. Ventum erat ad matrem. Omnes puerum intueri, pro illo omnes trepidare. Ille decusum, & ante se provolutum caræ parentis caput vidit immotus, omisissisque lacrymis ac planctu, velut intelligens suas jam partes esse, nudavit collum, & cerviculam crudeli ferro præcidendam obtulit. Obtruncatis Christi militibus triginta, & eorum capitibus ante oculos aliorum in mensa collocatis ad terrorem, infertur ignis, & paratæ materiæ subjicitur, quæ momento flammam concepit. Distabant ab igne corpora palmos quinque & viginti, ut lentius torerentur: ac si qua parte luculentior serperet flamma, coerceretur a licitoribus. Locus omnis circum incondito vocum, ac gemituum strepitu personabat. Soli martyres taciti immortique, defixis in cœlum oculis, illustre sui spectaculum. Angelis hominibusque exhibebant. Duas tresve horas tenuit crudele supplicium, in quo primus cecidit P. Carolus Spinula. Nam præter quam senex annorum duodesexaginta, & multiplici morbo ærumnaque carceris debilitatus, ab igne aberat propius, unde evolans in vestes favilla implicuit illis ignem, quo brevi consumptus est. Cæteri proxime sunt consecuti, quemque vivi institerant locum, exustis corporibus texerunt, insigni laude fortitudinis, & magnæ religionis gloria. Ultimus jacuit Sebastianus Kimura, cum tres ipsas horas vim ignis, quo lentius, eo crudelius sævientis pertulisset: eoactus proinde cernere, quod graviolem illi forte dolorem inussit, spectaculum sane triste, ac luctuosum. Duo fuerunt religiosi, qui doloris impatientia abruptis vinculis ex ipso rogo ad iudices evaserunt ambugi, Xacam & Amidam numina Japonum clamitantes, ac vitam pro perfidia rogantes. Sed qui constantiam tot fortissimorum pugilum laudaverant ethnici, levitatem istorum spreverunt, rursusque vincetos flammis tradiderunt, in æternas post mortem conjiciendos. Cladem hanc longe ante prospexerat Spinula, ac sæpe mœrorem suum signifi-

189.
Duo doloris
impatencia a fide
deficiunt.

caverat, ingemiscere identidem, ac profiteri solitus, vereri se ne non omnes Omurani carceris hospites beatæ mortis coronam acciperent, neve quispiam gloriosæ diei serenitatem turpi defectione corrumpere. Id illos duos religiosos admonuerat nominatim, cum eos cerneret incommoda carceris ægrius quam viros fortes deceret ferre. Cum vero eosdem vidisset olim in certo quodam negotio pertinacius a suo præside dissentire, blande objurgatis, & in pertinacia nihilominus hærentibus, infortunium, verus nimium vates, prænuñciaverat. Japonem etiam narrat, solutis in rogo vinculis, fugam circumspicere; sed visa prope uxore, quæ fortiter ceciderat, retulisse confestim gradum, & erratum voluntaria piasse morte. Simul atque felices animas cælum excepit, fit undique a christianis impetus in vallum, quo area claudebatur, ad sacra corpora diripienda. Resistente circumfusa militum manu, & vim minaciter prohibente, Leo Zachefajemonus immiscuit se militibus, & unius martyris manum ambustam surripuit. Sed in furto deprehensus, pia dedit audaciæ poenas conjectus in carcerem, & paulo post cum uxore crudeliter interemptus. Toto triduo Prætor sacra corpora custodiri iussit, duplicatis circa septem excubiis, ne quis ad aliquid furripiendum accederet. Cognita mox christianorum conspiratione de avehendis per noctem corporibus, illa in ingentem rogam cum stipitibus, & reliquis supplicii instrumentis congestit, cineresque cum ipsa humo sanguine infecta in mare procul asportandos curavit. Solum Mariæ Tocuanæ caput, quia consanguinea prætoris erat, exemptum rogo, & christianis donatum est. Sic omnis illa tragoedia acta est, in qua Societas actores novem numeravit. Ex iis combustis fuerunt octo. Nonno, quia defuit palus cui alligaretur, caput est amputatum. Superest jam ut de singulis aliquid distinctius referamus.

De P. Carolo Spinula supervacaneum esset hoc loco dicere: exstat enim latine scripta ejus vita, & multorum teritur manibus. Summam tamen rerum ab eo gestarum libet exhibere. Matriti ortus est Carolus anno MDLXIV., patre Octavio Spinula, clarissimæ inter Genuenses familiæ viro, Tassaroli comite, & Cæsarei stabuli præfecto. Ætatem ineuntem egit Nolæ apud patrum Cardinalem Philippum Spinulam ejus urbis Antistitem, iisque artibus egregie fuit excultus, quibus pueri nobiles informantur. Dum se comparat ad quamcunque fortunæ conditionem, quam aut patris Cardinalis liberalitas, aut gratia patris apud Rodolphum Cæsarem aperiret, allata in Italiam fama de morte P. Rodulphi Aquavivæ, ab ethnicis in India cæsi, longe alias illi cogitationes injecit. Beatæ mortis genus mire percussit generosum Caroli pectus, & ad æmulationem similis gloriæ accendit. Hac spe inflammatus, Deo se dedicavit in Societate, cum nondum plane annum vigesimum explevisset. Statim ejusmodi vitæ rationem ingressus est, quæ martyrii candidato conveniret: stimulos ad virtutem, nec mediocre incitamentum addentibus B. Aloysio Gonzaga, quo usus est Neapoli familiariter, ac Ven. Bernardino Realino, quem Lupis conscientiæ arbitrum habuit. Defunctus studiorum curriculo Mediolani, & sacerdotio initiatus, adeundæ Japoniæ facultatem exoravit, perruptaque quæ fiebat a consanguineis mora, contendit Ulyssiponem, atque inde in Indiam cum septem Societatis hominibus solvit. Emensus magnam itineris difficillimi partem, dum prætervehitur promontorium bonæ spei, diffracto navis gubernaculo, cogitur Brasiliam petere, ubi menses quinque consedit. Quassata tot procellis navis, cum esset itineri Indico inhabilis, reportabatur in Lusitaniam. Ventis adversantibus, ad portum, ut vocant, divitem depulsa est. Post aliquot mensum in hac insula moram salutis plurimorum utilem, non ausi Patres navi pristina se committere, duas alias commodius instructas conscendunt; divisi tamen sic, ut una veheretur P. Spinula cum P. Hieronymo de Angelis, altera focii reliqui. Omnes pariter in Lusitaniam vela faciebant. At Carolus a sociis tempestate divulsus, post sexcenta pericula, capitur a prædonibus, & in Angliam deferitur. Non ignorabat ille quanto tunc odio esset Anglis nomen Societatis, regnante Elisabetha. Nihilominus palam se catholicum Sacerdotem, & alumnium

So-

190.
Christianorum
ardor ad reli-
quias martyrum
diripiendas.

191.
Elogium P. Ca-
roli Spinulæ, e-
jusque vitæ sy-
nopsis.

192.
Ingreditur So-
cietatem marty-
rii studio.

193.
Navigat in Ja-
poniam, sed de-
fertur in An-
gliam.

194.
Ejus litteræ
ad Præpositum
Generalem ex
Lusitania,

195.
Ejusdem mini-
steria & labores
in Japonia.

196.
Peculiares ejus
molestiæ in car-
cere Omurano.

197.
Qua flagraret
cupiditate mar-
tyrii.

Societatis professus est, idque ipsi fuit innoxium. Delectatus nimirum ejus modestia, cæterisque virtutibus præfectus Anglicæ navis, occultavit illum aliquandiu, liberaliter ac benigne habuit, denique liberum dimisit. Rediit ergo in Lusitaniam; sed, quæ prima se daret occasio, denuo iter in Japoniam, quo sua illum ferebant vota, facturus. „ Ulyssiponem appulimus (ita de se ac P. Hieronymo de Angelis scribebat ad Præpositum Generalem) salvi, Deo propitio, & ad eandem viam millies integrandam paratissimi. Usu ipso ac patientia occalluimus ad omnem maris atque hominum acerbitatem, & quæ videntur inexpertis horrida, mihi pene jam familiaria sunt. Deo fratus confido fore, ut si omnia humana præsidia me deficient, alæ defuturæ non sint, quibus eo convolem, quo me a tot annis tam manifesto numine vocari sentio. „ Iterum ergo relinquit Europam, mare iterum ingreditur exeunte Martio anni, qui præterlapsi sæculi erat ultimus, moratusque paulum Goæ, Malacæ, & Macai, partim ut affectæ serviret valetudini, partim ut navigandi opportunitatem præfolaretur, Japoniam aliquando tandem attingit anno labentis sæculi secundo. Viginti annos exegit in Japonia: primos quidem in collegio Arimensi, ubi seminarii juventutem per omnes virtutis christianæ gradus deduxit: tum in vicino tractu (Ariæ nomen est), ubi centum ipsos pagos cum insigni fructu excoluit. Inde accitus Meacum Japoniæ caput, ut domesticæ in collegio disciplinæ custos, & rectoris administer esset, injunctum munus per septem annos gessit, tanta charitatis & prudentiæ laude, ut post hæc Japonicæ provinciæ procurator fuerit constitutus, quod onus & summi erat momenti, & maximis difficultatibus laborabat. Postremo Vicarii Generalis partes egit pro P. Valentino Carvallio, qui Japonensem administrabat episcopatum, donec, uti narratum est, comprehensus, & in Omuranum carcerem detrusus, diuturnum, & ipsis prope crudelius flammis martyrium quatuor fere annis pertulit. Carcerem istum, ob angustiam fetoremque, & reliqua quibus abundabat incommoda, inferos plerique vocitabant. Carolus suam probationis domum, suum paradisum appellare consuevit: adeo communibus omnium molestiis nihil infractus, ut eas voluntariis cruciatibus cumlaret. Cilicio continenter utebatur: & quamvis demensum dari vincis solitum vix arcendæ morti satis esset, pluribus ipse tamen diebus hebdomadæ arctiorem inedia tolerabat. His adde frequentes morbos, convulsiones, tormina, & acutas febres, quibus haud semel in ultimum vitæ discrimen adductus est. Adde iterum, quod dissimulari non debet, animi agritudinem ingentem, ac fere assiduam, ex perspecta quorundam erga se, & Societatem malevolentia. Audiebat sæpe palam ordinis sui famam proscindi: feri dissidia, seditionesque conciri videbat adversus se. Quibus de rebus licet nunquam auditus fuerit conqueri, imo obtrectatoribus beneficia pro injuriis rependeret, scripsit tamen Præposito Provinciali, his multo se affici gravius, quam reliquis tam tetri carceris ærumnis. Tot inter molestias sola reficiebatur divinarum rerum contemplatione, cui dabat operam assidue, ac tanta coelestium deliciarum ubertate, ut calamitates in deliciis haberet, nihilque omnium mallet, quam aut in eodem carcere contabescere usque ad mortem, aut ad rogam perduci. Illis itaque blande succensebat, qui exilium, aut aliud ejusmodi poenæ genus quasi miserantes commemorarent. Omnibus contra lætitiis incedebat, si quis optatæ necis mentionem faceret. „ Renunciatum nobis est (ita scribebat ad rectorem collegii Nangafachiensis), nos Octobri proximo vivos esse comburendos, idque ex ipso Conroquo auditum narrant. „ O me beatum, si ad palum semel alligatus, Christi que causa crematus animam hanc posuero! Sentio equidem quam honore tanto sim indignus. Nihil in me boni deprehendo, præter avidam patiendi pro Deo voluntatem. Illud enimvero angit me ac discruciat, quod vitam prorogari mihi videam, nullumque interea finem faciam offendendi Dei, quem de me tam bene meritum intelligo. Mortem lætus opperor, quæ meis modum peccatis imponat. „ In eandem fere sententiam ad alios plerosque amicorum scripsit, extremis episto-

lis

lis ita subscribens, exemplo Pauli Apostoli: *Carolus pro Christo vincetus*. Iisdem litteris orabat impense omnes, ut agerent assiduis apud Deum precibus, ne sibi gloria subeunda pro Christo mortis negaretur.

Simillimum animi robur in P. Sebastiano Kimura spectatum est, tunc præsertim cum positus in extremo certamine, post tres immanis incendii horas genua leniter humi flexit, ac demisso capite victorem Deo spiritum reddidit. Ætatis annum agebat septimum & quinquagesimum, ab inita Societate trigessimum octavum. Nepos illius erat Kimura, quem S. Franciscus Xaverius omnium primum in Japonia baptismo tinxit, illiusque Leonardi consobrinus, cuius triumphum supra in quinto hujus historiae libro retulimus, Primus inter Japones fuit sacerdotio initiatus, & Sacerdotum Japonum primus, qui gloriosa nece religionem illustraret. Firandi natus, vix annos undecim attigerat, cum Firandense templum Societatis frequentare coepit, ejusque se ministerio totum devovit. Postquam accessit ætas matura litteris, illis operam in Bungeni seminario dedit, annumque ingressus undevigesimum, Deo se dicavit in Societate. Hauferat a moribus suæ gentis, & institutione domestica nobiles ac generosos, quibus maxime Japones gloriantur, spiritus: sed eos demissione modestiaque christiana ita temperavit, ut esset erga omnes mirum in modum comis, affabilis, officiosus, & ad omnes moderatorum nutus promptissimus. Pauperrimo utebatur vestitu, tantum ad religiosæ virtutis perfectionem addi existimans, quantum ad paupertatis rigorem accederet. Sortitus a natura orationis genus amplum & splendidum, illud exercitatione diuturna sic limaverat, ut magnam explicandis fidei mysteriis auctoritatem conciliaret. Neque tamen conciones accurabat ad pompam, sed magis ad utilitatem & captum audientium accommodabat. Quidquid erat in evangelico labore asperissimum, id subibat ultro præ cæteris, ut socios levaret oneris parte, aut illorum incolumitati confuleret.

Inter septem novitios Societatis, quos simul, & eadem causa interfectos vidimus, clarus erat, non solum genere, sed etiam bellica virtute Thomas Acafoxius, quem cum P. Kimura captum docuimus libro superiore. Cognita religionis christianæ veritate, ac statim suscepta, nihil dubitavit ea dignitate vir totum se Patrum obsequio devovere, & in exilium pulsos Manilam usque sequi. Reversus inde in Japoniam, satis magnam exhausti per tot annos laboris mercedem rependi sibi putabat, si admissus in Societatem, pro Christo moreretur. Utrumque feliciter est consecutus, annos egressus quinquaginta. Pari constantia operam diu navaverat Patribus Joannes Chungoquus, oriundus Amanguccio. Ductus ad Governatorem Nangasachii, rogabatur, num P. Carolum Spinulam sacerdotem esse & religiosum sciret? Amici, qui forte aderant, ut hominem periculo eximerent, id eum nescire dixerunt. Ego vero, exclamat Joannes, probe scio: neque alia res ulla me illi adjunxit, quam quod veri Numinis legem docet. Ea vox capite fuit luenda. Vinculis cum Spinula constrictus, in iis hæsit fere quadriennium, donec beatæ mortis corona donatus est. In carcere virtutum documenta maximarum dedit, charitatis præsertim & patientiæ, quarum commendatione admissus fuit in Societatem. Ludovicus Cavara, Societati pariter additus in carcere, per eisdem durissimæ captivitatis gradus aditum sibi ad immortalitatem aperuit. Natus Ariæ, primam ætatem egerat inter nobiles ephobos Joannis Arimandoni regis Ariæ. Sed cum Michael Joannis filius a Christo descivisset, ipse fortunis & omnibus vitæ commodis exutus, Nangasachium se contulit. Ibi paulum ab urbe secedens, abdidit se in tugurium, ubi celestium rerum contemplationi deditus, adeuntes docebat salutis viam, & in vicinos identidem pagos procurrebat, sæpe captus quasi religiosus, sæpe errore cognito est liberatus. Ad extremum vetitus a Governatore, verba de lege Christi facere, se quidem in cæteris rebus obtemperaturum respondit: at facere non posse, quin legem christianam rogantibus explicaret, quam non modo veram esse intelligeret, sed etiam ad salutem omnino neces-

198.
Elogium P. Sebastiani Kimura.

199.
Indicantur aliqua de septem novitiis. Ac primo de Thoma Acafoxio.

200.
De Joanne Chungoquo.

201.
De Ludovico Cavara.

202.
Reliquorum lit-
terarum communes
ad unum de So-
cietate.

fariam. Incensus ira Conrocius, illum in Omuranam custodiam duci iussit, ubi permotus nostrorum exemplis, in eorum adscribi numerum petiit, & impetravit. Annum agebat ætatis fere quadragesimum. De reliquis quatuor tironibus multa libro superiore memoravimus. Tamen quo flagrarent ardore fidei, novo argumento erunt litteræ, quas ex Omurano ergastulo in communi scripserunt ad quemdam de Societate. „ Si nostra nobis peccata (inquiunt) gloriam optatæ mortis invident, hoc saltem enixe rogamus Deum, ut nos in istis mori vinculis ærumnisque patiat. Quod victi propter Christum sumus, in summi beneficii loco ducimus, & acceptum Societati, beatisque Ignatio & Francisco Xaverio ferimus: simulque profitemur, non posse nos ipsis pares pro tanto merito gratias solvere. Sed neque possumus verbis consequi, quantum eo quoque nomine debeamus P. Carolo Spinulæ, omnium nostrum parenti magistroque amatissimo. Totam ætatem, imo ætates plurimas, in his vinculis lati lubentesque, si visum ita superis fuerit, transigemus. „ Ex quibus litteris intelligi potest, quam virilis & adulta tironum illustrium virtus esset. Antonius Chiunius annum ætatis quinquagesimum expleverat. Gonzalus Fusajus agebat quadragesimum. Paulo ultra processerat Petrus Sampo. Michael Xumpo tertium & trigésimum decurrebat. Horum adscribi numero non immerito potest Antonius Sanga, ejusdem atque illi necis & coronæ particeps. Multo enim ante fuerat in Societatem admissus, sed tirocinio finem imponere nequiverat, impeditus adversa valetudine. Cæterum nihil fere Societatis amiserat, præter vestem. Religiosos quidem certe mores exacte retinebat. Fundendi pro Christo sanguinis deliderio incensus, ultro se obtulit iudicibus, & fidei suæ rationem reddidit. Quam admirati constantiam iudices, pii voti compotem fecerunt. Instante morte scripsit ad provincialem Societatis, & quantum sperabat boni, totum debere se nostris hominibus professus est, quorum in seminario fuisset educatus, inter tirones institutus, confirmatus exemplis, precibus sublevatus. Narrabat iisdem litteris, ethnicos triginta duos a se fuisse baptizatos in carcere, & plerisque aliis viam recte vivendi demonstratam. Hanc salutis alienæ curam Sanga hauserat a majoribus, qui cum essent genere splendidissimi, christianam fidem inter primos susceperant, & susceptam constantissime retinuerant.

203.
De Antonio
Sanga similiter
interempto.

204.
Martyrum cor-
pora miris osten-
tis illustrantur.

Quæ hæcenus de P. Carolo Spinulæ, cæterisque fortissimis fidei defensoribus narrata sunt, non solum Japonicis nostrorum litteris consignata fuerunt, verum etiam excepta publicis monumentis, quæ annuente summo Pontifice Urbano VIII., tum Manila in Philippinis, tum Macai, & alibi fuere conscripta. Quiddam in iis est de corporibus martyrum hoc loco non tacendum, quod Joannes de Sofa nobilis Lusitanus pro testimonio affirmavit. Nocte illa, quæ martyrum eadem est proxime consecuta, atque eo profus in loco ubi jacebant sacra corpora, prospectam sibi ingentem & insolitam lucem, juratus dixit Joannes: hæsisse se aliquandiu miraculi novitate percussus, ac Simoni Pæz contubernali suo rem indicasse: accurrisse illum, atque ambos simul duas circiter horas stetisse admiratione defixos. Addidit, idem spectaculum nocte proxima fuisse utrique conspicuum. Lucem eandem e vicino mari prospectam fuisse nautis, divulgatus Nangasachio rumor confirmavit. At qui appositi fuerant custodiendis cadaveribus excubitores, de prodigio interrogati, non id solum contestati sunt, verum etiam erexisse se in pedes corpora interfectorum retulerunt, accensas manu faces gestantia; unumque in agmen collecta, collem illum omnem cantando objisse: visas sibi cunctorum in manibus ardentis faces: Spinulæ vero facem præcipuo quodam splendore conspicuam apparuisse. Hæc ubi vulgari cœpta, Conrocius invisum rumorem ægre ferens, minas graves ac terrorem injecit excubitoribus, si verbum amplius facerent de prodigio. Metuebat improbus, ne decus inde accederet religioni, & animus christianis adderetur. Et vero quod verebatur accidit: neque enim celari diu tanta res potuit. Celebratum ubique est Christi nomen, tanto ethnicorum pavore,

205.
Religio ampli-
ficatur. Necan-
tur pro fide
multi.

ut eorum ferme tria millia intra paucos dies lucem veritatis aspexerint. Hoc magis furere Imperator, & contra christianum gregem ferro flammisque grassari. In regnum Omuranum maxime tempestas incubuit. Cum liberis parentes, cum amicis & consanguineis amici & consanguinei, puellæ cum sponfis in ardentibus rogos coniectæ sunt, aut immitibus carnificum lanceis objectæ. Investigati quoque illorum filii, qui ante aliquot annos ob religionis causam affecti supplicio fuerant, omnesque similiter ad poenam vocati. Integræ familia intra mensem unum, aut ferro, aut flammis absumptæ perierunt. Qui relictæ fuerant in carcere Omurano religiosi octo, tres nimirum Dominicani, & Franciscani quinque, uno die combusti.

Sed ne longius a rebus nostris abeam, dicendum nunc de illustri certamine P. Camilli Constantii, quem inter nobilissimos Japonicæ Ecclesiæ heroes merito numeramus. Transferat Camillus ex insula Iquinõxima in aliam proximam, Uquim dictam, ex eaque descensionem facere in continentem tentabat: cum irrumpunt in navim strictis ensibus, & clamore incondito milites, injiciunt nautis vectoribusque vincula. Solum quærebant Constantium, aut certe præ cæteris: nec eum tamen vincere ausi sunt, credo, prohibiti splendore necio quo majestatis, qui ejus in vultu plurimus emicabat. Volentem, ac sponte sequentem Firandum perduxerunt. Interrogatus, ut sit, a iudicibus, pro religionis dignitate respondit. Sciscitantibus, cur Imperatori obedire detrectaret? misum se ab Imperatore cœli dixit, jussumque divinam legem Japonibus denunciare. Ob hanc vocem acriter objurgatus, in carcerem trahitur. Ut rescivit Imperator, Sacerdotem quidem cremari vivum iussit, cæteros autem cum eo captos obtruncari. Est e regione Firandi apricus & patens, interjecto maris angusto freto, locus, quem Tabiram indigenæ vocant. Huc perductus Camillus, verba fecit ad confertam Japonum, Anglorum, & Batavorum multitudinem, sumpto ex Evangelii vocibus argumento: *Nolite timere eos qui occidunt corpus.* At dum pergit incredibili ardore, & vocis contentione disserere, tortores ignem paratæ materiæ admovent. Mixti fumo flammarum vortices dicentem oculis spectantium eripuerunt statim: & nihilominus audiebantur concionantis liberæ voces & expeditæ, quibus Japonicarum sectarum vanitatem detestari non cessabat. Ecce autem post paulo discedunt hinc inde flammæ, mediusque inter illarum furentes globos conspicitur Camillus orare tam placide, tam sereno immotoque vultu, quam si solus ac liber in æde sacra consisteret. Attonitis omnibus, derepente vocem intendit, ac psalmum *Laudate Dominum omnes gentes* suavissime concinit. Eo exacto, vita simul cum voce defectus putabatur. Tamen, quasi novas ab igne vires duceret, clamorem tollit denuo, ac modo Japonicis, modo latinis verbis, populum ad fidei virtutisque constantiam adhortatur. Quæ locutus: *Ob me beatum!* exclamat: *Ob factum bene!* *Quam pulchre mihi est!* Mox, velut sui præ lætitia vix compos, *sanctus, sanctus* ingeminat. Quibus vocibus quinquies iteratis, occubuit. Incidit ejus fortunata mors in xvii. Cal. Octobres, cum quinquagesimum ætatis annum peregisset, trigessimum in Societate decurreret, & in missione Japonica decimum septimum.

Dederat illum vitæ ac Societati oppidum territorii Hieracensis in ulteriori Calabria, quod Motham Bovalineam appellant. Egressum pueritia nobilis discendi ardor, & honesta ambitio ad juris civilis scientiam penitus cognoscendam, impulit, cujus beneficio tueretur familiæ dignitatem. Sed eum Deus legis suæ doctorem destinaverat, quam olim in ultimis terræ plagis non ante cessaret prædicare, quam vivere. Prius quam Societatem ingrederetur, ignes vincere Japonicis ignibus multo periculosiores didicerat. Degebat Neapoli adolescens cum sodalibus, ætate & studiorum communionem similibus, vita dissimillimis. Ludi, otium, & qua otium parit flagitia, illorum unicuique erant negotium. Constantio contra, præter pietatem & litteras, nihil magnopere gratum, aut expetiturum. Male habebat protervos adolescentes pudor, & modestia contubernalis ab eorum moribus tam alieni: & quoniam in ejus transgredi partes recusabant,

To. I.

Ecc

eum

206.
Comprehenditur P. Camillus Constantius, & rogo damnatur.

207.
Mira ejus alacritas in supplicio.

208.
Elogium Patris Constantii, ejusque vitæ compendium.

209.
Pudicitæ exemplum ab eo adhuc adolescente editum.

210.
De ejus laboribus in missione Japonica.

211.
Augustinus Ota vix receptus in Societatem pro Christo moritur.

eum in suas astu nefario pertrahere statuerunt. Tempus eligunt voluptati velut publico jure consecratum, bacchanalia; primisque se intendentibus tenebris, puellam, veneris turpe mancipium, inmittunt in ejus cubiculum. Illa veluti casu, & nescio quem queritans ingressa, veniam rogat, quod molesta interpellatrix advenerit: simul blande subridens, miratur quid sit, cur ipse, dum juvenus omnis ludo paulisper & genio indulget, solus in museo cum libris rem habere pergat. Camillus nihil ad hæc: sed impulsam duriter deturbat e scalis præcipitem. Ad clamorem femina ingemiscens famulus nequam, qui erat scelerati doli confcius, accurrit, & facto commotus: *Næ tu, inquit, here inclementer, pace tua dixerim, & inurbane fecisti, qui puellam innocentem sic extruseris.* Cui Camillus colaphos pro responso infringens, coegit improbum aliqua saltem vultus parte erubescere. Tum obferato cubiculi ostio, in genua procidit, gratias liberatori Deo agit, novam opem contra hujus generis insidias implorat. Quæ esset adolescentis vita & virtus, ex hoc facto æstimare satis licet. Societatem complexus ætatis anno vigesimo primo, missionem Sinicam diuturnis quæsitam votis duodecim post annos impetravit. Macaum delatus fuerat jam, parabatque Sinam ingredi, cum in Japoniam jubetur vela facere. Post quam novem annos exegerat in Japonia, indicto hominibus Societatis exilio, Macaum repetere, coactus est. Hic totum se contulit ad cognoscendas penitus refellendasque Japonum, imo & Sinarum, & Siamensium sectas, quas ex ipsorum scriptis & monumentis eruere studuit, ejusque argumenti libros octodecim annis septem elaboravit. Nactus denuo occasionem revisenda Japonia, quam solo corpore reliquerat, coniecit se in navim transformatus in militem. Sed cognitus a navarcho (nihil enim minus quam militem pietate modestiaque præferbat), ægre impetravit, ut clam ejiceretur in littus prope Nangasachium, unde celeri dilapsus fuga, varias regni Fingensis urbes, fidem ac pietatem late proferens, perlustravit. A Firandensibus evocatus, crebras, quibus hic Japonia tractus veluti conferitur, insulas diu noctuque permeavit, superstitionum tenebras, & inanum sectarum ludibria ubique dispulit. Illum tandem christiana mulier, piæ magis quam cauta, nihil enim tale cogitans prodidit. Dum enim ad Christum trahere maritum suum idolis perditæ addictum studet, indicavit illi de Constantio, eumque ut adiret suavit, expugnandum sperans, si talem semel virum audisset. At perfidus, spe præmii incensus, quo debebat indicio uti ad salutem suam, ad Sacerdotis perniciem uti maluit. Eum detulit ad judices, acceptisque navibus ac militibus, quo diximus modo comprehendit.

Constantio ad supplicium præiverant ejus hospites comitesque, viri omnino duodecim capite multati. At memorandus præcipue Augustinus Ota, singulari Numinis providentia consecutus, ut moreretur in Societate. Fuerat jamdiu Constantii in explicanda divina lege adjutor & comes, cum eoque nunc eodem in carcere detinebatur. Cum arderet nomen dare Societati, scripsit ad Provinciale ex ipso carcere, ut se voti compotem faceret enixe rogans, Provincialis negotium Constantio dedit, ut siquidem dignum putaret, inter socios adscriberet. At quod jure mirari liceat, cum aliæ omnes ejus epistolæ per quatuor fere menses ad Constantium scriptæ, aut amissæ fuissent, aut custodum vigilantia interceptæ, una hæc reddita illi est, atque eo prorsus die, qui diem Ota supplicio destinatum proxime præcedebat. Pridie igitur quam carnifici præcidendum caput offerret, Ota in Societatem fuit receptus, ac vota emisit: postridie vero novitius unius diei christianam professionem sanguine ob signavit, vi. Idus Sextiles. Natus erat Ogicæ, regni Firandensis oppido. Puer in Bonziorum disciplinam traditus, in meliorem Christi scholam transierat adolescens. Matrimonii lege solutus obitu conjugis, per diu templi Firandensis æditum egerat, donec Patri Camillo peregrinationum comes additus, vinculo quoque socius, & triumphalis mortis præcursor effectus est. Agebat annum ætatis circiter quinquagesimum. Cum Patre Constantio pariter captus fuerat Gaspar Cotenda, juvenis annorum viginti trium, ac nobilissimo ortus genere: cum-

cumque ipſius in opere evangelico comes ſtrenuus & adjutor fuiſſet, eidem præire ad coronam meruit, licet non eodem in loco. Traductus enim eſt, neſcio qua cauſa, Nangafachium, ibique obruncatus, Septembri menſe ineunte. Olim adoleſcenti voluntas fuerat ineundæ Societatis: ſed ejus vota tunc proſcriptio religioſorum fraudaverat. Nunc cum ſummis optaret votis, ut ſaltem in Societate moreretur, id exorare nullo modo potuit, una illa excluſus cauſa, quod ſe chriſtianum coram judicibus profeſſus, Dogicum etiam, ſeu catechiſten, profiteri noluiſſet, atrocioris ſupplicii metu. Quo loco illud obiter, non tamen abs re, notatum volo, fuiſſe hunc in Japonia noſtrorum morem, ut nec in extremo vitæ mortisque discrimine quemquam reciperent, niſi idem ſatis probatis eſſet moribus, & luculenta virtutis indicia prætulifſet. Qui vero eſſent matrimonio juncti, eos, quidquid alii religioſi factitarent, omnino veterat Mutius Generalis admitti, etiamſi fidei cauſa morerentur.

Ultimus ex noſtris eadem in arena fortiter feliciterque certavit hoc anno P. Petrus Paulus Navarrus, magnæ virtutis pugil, atque immortaliter memorandus. Quemadmodum fuerit comprehenſus, quid ante quam flammis dederetur pro animarum ſalute geſſerit, narrat ipſe in ſuis ad Rectorem Nangafachienſis collegii litteris, unde hæc quæ ſubjicio magnam partem excerpta ſunt. Arima imperitabat Regulus mitis, annis & prudentia maturus, idem chriſtiano nomini non inſenſus: qui quamvis plena omnia chriſtianorum eſſe non neſciret, connivebat tamen, & vivere quietos patiebatur, atque incolumes, modo nihil ſigni darent publice, unde ipſis ac ſibi damnum ab aula crearetur. Jactabat minas graves identidem, ſed conſulto, & irritas, ut Xoguno imponeret ſcilicet, & verba daret. Notum id Evangelii præconibus, qui proinde tecti ac taciti ejus indulgentia fruebantur. Dum urbes ac pagos in eo tractu obit impune Navarrus, Arimam fuit invitatus ab ejus loci chriſtianiſ. Eo ſe conſtulit ſtatim aviis itineribus, per noctem, habens in comitatu Petrum Sandajum, Dionyſium Fugiximam, & Clementem Chiugemonum, locorum gnaros, quorum duo priores erant jam in noſtrum ordinem cooptati. Ecce autem ex improviſo occurrit ignotus juvenis ex Arimandoni familia, religionis deſertor impius, & inter exploratores acerrimus: qui homines feſtinare concubia nocte, longeque a via militari cernens, ſuſpicatus quod erat, advolaverat. Deſixis in Navarrum adverſa luna conſpicuum oculis, nihil dubitavit eſſe, quod vultus ipſe indicabat, Europæum. Tollit clamorem perfidus, intendit jugulo acinacem, & injecta manu ſequi jubet. Accurrerunt Navarri comites: ſed cum defendere ſe ac præceptorem ſuum poſſent, parere maluerunt, atque iniquo ſatelliti ultro ſe ducendos præbuerunt. Lætus præda juvenis ad aulam properat, mercedem flagitii ingentem ſperans. At ſua illum feſellit ſpes. Arimandonus, qui ſæpe nullos eſſe in ſuo regno ſacerdotes Xoguno affirmaveſſet, unum eſſe repertum, dolens, ſuccenſit ſatelliti improbo, & de Navarro liberando aut occultando cogitavit: feciſſetque, ſi quo modo opprimi potuiſſet fama, quæ jam de illo capto percrebuerat. Timens ne a ſclerato delatore, tanquam ſacerdotum chriſtianorum fautor, accuſaretur, Imperatorem facere de re tota certiore, & ejus exquirere ſententiam feſtinavit: at ſimul ad amicum in aula potentem ſcripſit, ut negotium illud ſine ſua & Navarri moleſtia componendum curaret. Navarrum interea tranſtulit Ximabaram, millibus paſſuum ab Arima quindecim, tradiditque chriſtianiſ in libera cuſtodia ſervandum, accepta prius cautione de redhibendo, quoties illum repoſceret. Decem menſes Ximabara ſubſtitit Navarrus: quo toto tempore dici vix poteſt, quam crebri ad eum concurſus, non chriſtianorum modo, ſed etiam ethnicorum fuerint facti. Omnes ille docendo diſputandoque erudiebat, omnium animos modeſtia & comitate ſibi conciliabat. Manavit ad Arimandonum rumor, nec ſibi temperare potuit, quin hominem, ut omnes prædicabant, divinum audiret. Illum ad ſe arceſſit Arimam, convocatoque domi ſuæ nobilium magno numero, venientem honore excipit ſingulari, ſummum præſertim dolorem de ipſius infortunio ſignificans. Negavit Na-

To. I.

Ecc 2

var-

212.
Alter, licet pro
Chriſto mortu-
rus, excluſitur
a Societate.

213.
Quo delectu
reciperentur in
Societatem Ja-
pones.

214.
Comprehendi-
tur P. Petrus
Paulus Navar-
rus in regno A-
rimenſi.

215.
Regulus cona-
tur Navarrum
ſupplicio exi-
mere.

216.
Navarrus in li-
bera cuſtodia
detinetur.

217.
Religionem defendit contra Bonziorum calumnias.

varrus, infortunii loco habendam esse jacturam libertatis & vitæ pro tam illu-
stri causa. Tum ingressus in sermonem de religione, de variis ejus capitibus
ita differuit, ut frequens nobilitatis corona miraretur plurimum, Arimandonus
dicentem sæpe laudaret. Ventum erat ad calumnias & probra, quæ christiano
nomini Bonzii petulantes conabantur inurere. Contra hæc Navarrus apologiam
protulit a se ante conscriptam. Recitari totam jussit Arimandonus, cujus ut
quæque pars legebatur, annuebat ipse cum magno assensu, & commendatione
scriptoris. Sed cum ad eum locum sermo delapsus est, in quo refellebatur eth-
nicorum pervagata & exitialis opinio, religionem merum esse hamum, quo ca-
pti Japones in ditionem christianorum principum redigerentur, vocem conten-
dens: *Hic enim vero, inquit, hic omnis rei cardo vertitur. Hoc ipsum urit
angitque Imperatorem. Videt quippe vicinas Philippinas hac arte ab Hispanis oc-
cupatas.* Nodum hunc sane odiosum eadem felicitate ac ceteros Navarrus solvit.
Quo facto, Princeps integram apologiam a librario suo describi voluit, & Sa-
cerdotem majori quam quo acceperat honore dimisit. Nec interim desistit age-
re per amicos, quos habebat in aula prævalidos, ut christiænæ legis tam exi-
mius doctor Macaum incolumis remitteretur.

218.
Damnatur flam-
mis, & senten-
tiam latus exci-
pit.

Ita omnino futurum sperabat: cum perlatum est ab aula responsum, quo
vivus cremari Navarrus cum captis simul christianis jubebatur. Eo nuncio gra-
viter vulneratus est regulus. Navarrus contra tam uberi ac liquida lætitia deli-
bitus, ut eam nec continere sinu, nec explicare satis posset. Omnes exinde
ejus voces ac litteræ, vultus ipse, atque oculi cœlestem ardorem spirare, &
incensam martyrii cupiditatem, Lætitiæ cumulum addiderunt Calendæ Novem-
bres, dies Sanctorum omnium honori facer, quo die adfuit ab Arimandono
centurio capitalem sententiam ferens totidem verbis conceptam. *Xogunus Ja-
ponum Imperator Patri pyram & necem irrogat, quia jussus Japonia egredi, in
ea remansit, & vetitam a rege legem Christi prædicavit.* Triumphavit Sacerdos
Christi amore succensus, quod sibi denique liceret suo sanguine doctrinam ob-
signare, quam per annos sex & triginta Japonibus tradidisset, testatusque palam
est, nunquam se jucundiorum in vita nuncium accepisse. Ad supplicium proce-
dit nudis pedibus, rosarium e collo suspensum gestans. Ducebantur una Diony-
sius, Petrus, & Clemens, quos cum eo captos demonstravimus. B. Virginis
litanias ipse præcinebat, illi respondebant, tacito circum populo, & eorum
alacritatem admirante. Ut in conspectu fuit locus triumpho destinatus, præ-
grediens celeri gradu Navarrus, intra repagula prior subiit, complexusque assigna-
tum sibi stipitem, genua flexit, & Numini gratias ingentes egit. Mox erigens
se, ac vocem tollens, multitudinî circumfusæ novissima verba dixit, qualia
res ac tempus ferebat. Dein oratione ad socios, qui ad suum quisque palum
alligabantur, conversa, novas illis ad necem fortiter excipiendam faces subdi-
dit. Affuit demum Arimandonus feralis tragoediæ moderator ac testis. Igne ma-
teriæ admoto, reluxit momento flamma, & correptum Navarri pallium, flan-
te validius vento, dissipavit, per aerem ambusta frustra dispergens. Ipse igneo
circumvolutus turbine non cessabat alloqui, modo socios, modo populum; sæpe
oculos ad cœlum tollere, sæpe Jesum ac Mariam inclamare: donec ruptis igne
vinculis, concidit in latus, & extremum spiritum edidit, altero & sexagesimo
atatis anno, ab inita Societate quadragesimo quarto. Proxime secuti sunt Cle-
mens Chiugemonus, Dionysius Fugixima, & Petrus Sandajus. Hic annos nume-
rabat tantum octodecim, Clemens octo & quadraginta, Dionysius triginta octo:
omnes Japones, ac duo posteriores Societati adscripti. Martyrum corpora, ad
terrorem populo incutiendum, triduo insepulta jacuerunt, custodia circum ex-
cubante, ne quid a christianis surriperetur. Post triduum, cum ea comburi
denuo placuisset, & in cineres per aquor dissipandos verti, integrum illæsum-
que, consumptis licet vestibus, repertum est Navarri cilicium, magna om-
nium admiratione, prodigii quidpiam subesse non immerito suspicantium. Lai-
num, Calabria oppidum, Patri Navarro natale fuit. Religiosam amplexus vi-
tam

219.
Progreditur ad
rogum cum aliis
tribus, quorum
duo de Societa-
te.

220.
Comburetur
cum sociis, ejus
tantum illæso ci-
licio.

tam anno ætatis duodevigesimo, Japoniam post sexennium petiit. In ea triginta sex confecit annos gravissimis exercitiis incommodis, quæ informari animo facilius possunt, quam verbis explicari. Creber illi maximusque labor in superandis montibus asperrimis, quorum acutis cautibus laceros sæpe pedes domum referebat. Nec minus laboriosa cautio in vitandis exploratoribus, quos ut effugeret, dies aliquando decem in fovea, tanquam in sepulchro, delituit. Alias rustici habitu, alias mendici hispido centone tectus, vel imposito humeris onere in bajulum transformatus, quærentes elusit. Ad ejusmodi arumnas accedebant aliæ, quas ultro sibi met ipse imponebat. Quotidiana corporis verberatio, continuata per multos dies jejunia, horridum insuper cilicium, quod nunquam, ac ne combustus quidem deposuit. At in corpore debilitato vigeat animus, deliciisque cœlestibus pinguescebat. Sacræ, quibus affluebat, voluptates in ejus vultum effundebant sese: in sermonem, in omnem agendi rationem defluebant sic, ut jucundissima omnibus accideret consuetudo ipsius, ac tanto cunctis utilior esset, quanto carior. Deiparam singulari colebat studio, gnarus per eam nobis eundem esse ad Deum, per quam Deus ad nos venit. Præter cætera, quibus ad instillandum neophytis amorem erga Dei Matrem, utebatur, institit vertere in Japonicum sermonem opus P. Antonii Spinelli, *Thronus Dei* inscriptum: cui labori cum subcivitas diei horas, & nocturnæ quietis partem daret, tandiu suppediavit vita, donec operi manum ultimam imposuit. Illud P. Matthæo de Couros jam jam moriturus misit, a quo aliis traditum, nunc asservatur in tabulario Societatis.

Dum ibi quæ hæcenus narrata sunt gerebantur, in reliqua Japonia vexabantur quidem acerbe christiani, sed citra sanguinem. Sataquedonus Imperatoris frater, Xembocum, & Aquitam, duas satis amplas provincias cum imperio obtinens, uxorem cætera carissimam extruserat domo, propterea quod animo christiana domesticum venerari idolum noluisse. Hoc viri principis exemplum secuti plures urbium præfecti, multos christianorum spoliarunt bonis, multos extra patriam cum ignominia expulerunt. Accessit nova sæviendi causa ex quadam malefica superstitionis forma, quæ per illam Japoniam plagam grassari detecta est. Natio hominum scelerata, reipublicæ exitialis, & in seditiones ex instituto suo prona, hoc unum habebat cum Christi fide commune, quod Xacam & Amidam numina Japonum contemneret. Verumtamen, quasi in omnibus par esset nebulonum illorum, & christianorum causa, utrique similiter, velut hostes publici, ad pœnam conquirebantur. Aderat P. Didacus Carvallis, ejusque effectum opera ut christiani, aut suam magistratibus fidem & innocentiam probarent, aut perstarent contra molestias diræ infectionis immoti. In regno Voxuano Masamunes rex, deposita semel spe posse christianos metu pœnarum concuti, mitiores nocentioresque artes ad eos seducendos adhibebat: utque aberat hoc tempore gregis illius pastor P. Hieronymus de Angelis, cesserunt fraudibus haud sane pauci, quos nullus antea terror prostraverat. Multa cogor prætermittere, ne modum justæ narrationis excedam. Itaque nostrorum labores, peregrinationes, resque bene ac feliciter gestas non exequar diligentius. Tamen, ut quoddam existat quasi specimen, ex quo capi de reliquis conjectura possit, unum dico, totam hoc tam duro tempore Japoniam peragrassè operarios Societatis, nec forte locum fuisse, quem per mille insidiarum pericula, & difficultates itinerum non adierint. Quodque fidem pene superat, sæviante tam atrociter Imperatore ut Christi nomen extingueret, sola nostrorum industria Japonum amplius bis mille ad Christi signa transierunt. Et nihilominus redux in Europam Colladus ille, cujus supra meminimus, Matritensem primo, & mox Romanam aulam implevit rumoribus æque invidiosis, ac falsis, & Societatem multis criminibus oneravit. Otiari scilicet in Japonia Jesuitas, inclusosque domibus ditiorum nullam pauperum, nullam religionis curam gerere: eosdem turbas dissidiaque ferere, aliis religiosorum ordinibus perpetuo obtractare, ab eorum consuetudine fideles arcere. Quibus ut fidem conciliaret,

chy-

221.
Patris Navarri
elogium.

222.
Christianorum
molestiæ in aliis
Japoniæ parti-
bus.

223.
Nova christia-
norum odiâ pro-
pter quosdam
maleficos.

224.
Deficiunt a fi-
de multi in re-
gno Voxuano.

225.
Nostrorum res
gestæ per uni-
versam Japo-
niam.

226.
Calumniæ con-
tra nos in Euro-
pam illatæ.

227.
Contemnuntur,
tum a Pontifice,
tum a Rege Ca-
tholico.

chyrographum secum attulit odiosis ejusmodi criminationibus refertum, & mul-
torum manu confirmatum, itemque epistolam ad Pontificem maximum, venera-
bili viro Ludovico Sotelo suppositam, de qua alibi fermo redibit. Purgarunt se
nostri apud utramque aulam simplici rerum narratione, cui plurimi in Japonia
sacerdotes, iique gravissimi subscripserunt. Cognita autem veritate, Pontifex
Urbanus VIII. accusationes contempsit usque adeo, ut litteris ad Japones Vo-
xuanæ provinciæ datis, operarios Societatis multis & eximiis ornaverit laudi-
bus, virosque appellaverit, *cum doctrina, tum insigni probitate præstantes*. Non
his verborum significationibus se continuit Philippus Hispaniarum rex: sed ro-
gatus a Pontifice, ut religioni in Japonia periclitanti subveniret, decretum edi-
dit, & ab eodem Pontifice confirmandum curavit, ne per annos quindecim,
alii sacrorum ministri navigarent in Japoniam, præter missos a Societate: idque,
ut ajebat, quia experimento constabat, ex quo alii mitti cœpissent, non eadem
felicitate progredi rem christianam in iis terris, qua soleret antea, cum sola
ibi Societas versabatur. Non me latet, regis hoc decretum effectu caruisse. Sed
ut inutile ad summam rei fuerit, ad Societatis defensionem, & ad obstruenda
ora obloquentium non fuit inutile.

228.
RES SINENSES.
Doctorem Pauli
consilium de re-
vocandis in Si-
nam Patribus.

Progredimur ad res Sinicas, quæ quidem hoc tempore, non ut in Japonia
cruentæ, procellosæ tamen erant, & spem inter ac metum perpetuo fluctuantes.
Occupaverant, ut supra diximus, Tartari magnam provinciæ Leotoniæ partem.
Cum deinde etiam urbem arcemque Quamvisque totius provinciæ munitissimam
expugnassent, hoc nuncio adeo consternati sunt Pekinenses, ut novus Imperator
Tienkius de regia relinquenda cogitaret. Aderat Pekini magnum illud christi-
anorum columen doctor Paulus: utque illi cura bellicæ suppellectilis adornan-
dæ incumbere, ex præsentibus reipublicæ calamitatibus consilium cepit, quod
si successum haberet, sustineri possent impetus Tartarorum, ac forte, quod
magis cordi erat, revocari ab exilio Patres quinquennio ante Macaum depor-
tati. Proposuit Imperatori, non alio erigi modo res tot belli cladibus afflictas
facilius posse, quam ope Lusitanorum, si nimium illi machinas bellicas, &
peritos earum libratores Macao mitterent cum lecta militum manu. Pauli con-
siliium probavit vehementer Imperator. Constituitur statim, ut præfectus pro-
vinciæ Cantonensis exposcat a Macaensibus Lusitanis tormenta curulia, & ma-
chinarum libratores decem, cum aliquot centuriis militum veteranorum. Ac-
tum primum Sina, cæterarum nationum superba illa contemprix, visa legationem
mittere ad externos, ut suppetias ferrent imperio laboranti. Evocabantur
eadem legatione homines Societatis, tum ut sacra ministrarent Lusitanis, tum
etiam ut bellicas machinas adjutarent: hanc enim artem tradit mathematica
scientia, cujus arcana omnia nostri callere dicebantur. Nihil poterat opportu-
nius accidere nostrorum votis. Cunctabantur tamen venire hoc nomine, sibi-
que cum armis & bello nihil esse rei profitebantur. Quibus doctor Paulus,
rerum & aulæ gnarus: *Quiescite*, inquit, *& vos revocari duntaxat sinite.*
*Accipiet Pekinum ut profani belli administratos, ut sanctioris militiae duces retine-
bit.* His permoti rationibus, ad iter Sinicum se accinxerunt aliqui Patrum
cum quatuor machinis, & libratoribus decem, præter expeditos pedites fere du-
centos. Verum tam præclara consilia disflavit vexator ille christiani nominis im-
manissimus Xinus, de quo multa a nobis in superioribus libris dicta sunt. Ja-
cuerat improbus aliquandiu inglorius domi suæ: at nuper e domesticis latebris
fuerat amicorum præsidio eductus, tanquam homo strenuus, consilio manumque
promptus, eoque aptus in paucis ad fulciendas imperii labantis ruinas. Accitus
in aulam denuo, & inter Colaos, supremum regni consilium, cooptatus, ut
audivit quæ gerebantur, invehi palam cœpit in consilium, ut ajebat, impru-
dens & periculosum arcessendi exteros, præsertim armatos. Ita autem disere-
bat: Si ea vis, & rei bellicæ scientia Lusitanis est, ut pauci expugnare Tarta-
ros possint, quanto facilius expugnabunt Sineses ipsos, qui a Tartaris expu-
gnantur! Quid vero attinet vocare domum hostem potentiorum, ut debiliorem
ex-

229.
Evocantur Ma-
cao Patres cum
armis Lusitano-
rum.

230.
Intercedit Xi-
nus, & rem di-
sturbat.

extrudas? Quibus sermonebus perterrefactus Imperator, Lusitanis gratias egit, nec aliud modo petens quam tormenta curulia, & libratores, reliquos jam iter ingressos aditu prohibuit. Non propterea Macai restiterunt Patres missioni Sinicæ destinati. Amissa occasione veniendi palam & tuto, aliam occultioſem sibi quaesiverunt viam PP. Franciscus Furtadus, Joannes Terentius, Joannes Adamus Schallus, & Jacobus Rho, elusaque portitorum & magistratum vigilantia, alii post alios in Sinam irrepserunt. Comes iis est additus frater Melchior Ribeirus, primus ex rei domesticæ adjutoribus Europæis eas terras ingressus. Tormenta cum balistariis diverso itinere sunt deſecta.

Inter hæc christiani Nankinenses, apud quos sedem propriam Societatis collocatam dicebamus anno præterito, suos cœtus identidem celebrabant, ac statis diebus convenientes, colloquebantur invicem de divinis rebus, & varia pietatis officia ad sublevandos ægros, vinctos, inopes, & calamitosos inter se partiebantur. Illud erat præcipuum, ut conquirerent, & vitali aspergerent aqua infantes, quos impiæ matres, sive inopia, sive educandi tædio exponebant. Plerique reperiebantur fame propemodum enecti, nonnulli a canibus jam semesi. Hæc sodalitia vixebat subinde sacerdos aliquis Societatis, rem divinam ut faceret, sodalesque piis alloquiis & ministerio sacrorum recrearet. Rebus ita satis belle fluentibus Nankini, tam pios utileſque cœtus repentina clades diſjecit, coegitque nostros penitioribus quam antea latebris occultari. Erupit latronum infamis globus in publicæ rei perniciem conjuratus. Pelinchiaii dicebantur homines perditæ, qui sumptis armis regionem pervolantes, fastique publico metu, ac terrore belli Tartarici audaciores, cadibus, rapinis, incendiis, sacrarum, & profanarum ædium direptione grassabantur. Oppida quinque deprædati, trucidatis hominum multis millibus, imminebant urbi regiæ, ac Tartaros ipsos immanitate vincebant. Ad hanc pestem exterminandam advolavit illico armata, edictis Imperatoris auctoritas Mandarinorum, qui provinciis præerant. Pulsi magnam partem, caesi, diſſipati sunt. Sed quia dicebantur clandestinos celebrare cœtus, in iisque sese mutuis adhortationibus ad invadendam rempublicam excitare, coitiones omnes & conventicula gravioribus constitutis pœnis vetita sunt, Nankini præsertim, quæ civitas alter est Imperii velut oculus, ac tum propter Japoniæ vicinitatem, tum propter civium opes ac multitudinem, suspicionibus erat præ cæteris obnoxia. Nullum quidem Imperator in edicto suo fecerat verbum de christianis nominatim. Eos nihilominus aliqui ex magistratibus edicto comprehendendi denunciaverunt, primique omnium Nankinenses, clientes nimirum Xini, ejusque consiliorum fautores & confesii. Hinc deprehensi quicumque piæ sodalitates frequentabant christiani, vim omnem suppliciorum pertulerunt. Una die Nankini quatuor supra triginta capti, & in judicium adducti sunt, injecta collo catena. Interrogati per tormenta de suis religionis, cruciatum admirabili constantia subierunt: sed quamquam de se suisque familiis ultro faterentur omnes, quemquam alium nemo indicavit. Fuit qui sponte accurrit ubi quaestio de illis exercebatur, nihilque territus tormentorum horripido apparatu, christianum se esse, ac porro fore professus est: quem tamen Mandarinus judex, sive miseratione, sive contemptu faceſcere actutum jussit, & supplicio exemit. Cæterum alii triginta quatuor ad diversa tribunalia raptati fuerunt, ac plagis toties, tamque immaniter multati, ut ad extremum reportandi fuerint in carcerem impositi tabulis, quippe ob corpora foede lacerata defecti viribus, ac semivivi. Conjectis in carcerem additum fuit collare ligneum (Cangam Lusitani vocant), pœnæ genus apud Sinas non minus ignominia, quam molestia durum. Triginta dies in vinculis hæserunt: quo tempore unus ex eo numero verberum acerbitate confectus interiit. Andreas illi nomen: crucis amor fere idem, qui olim Apostolo cujus nomen gerebat. Tantus vero pietatis ardor, ut omnes & exemplis & verbis accenderet. Post ejectiones scelere Xini Patres, iis qui remanserant in Sina domum suam addixerat, quamquam haud dubius, necem pii hospitii mercedem fore, si resciretur. Sed hanc ipse mercedem votis omnibus

231.
Socii quinque
in Sinam occulte
pervadunt.

232.
Insignis pietas
neophytorum
Nankinensium.

233.
Nova tempeſtas
contra neophytorum
sodalitates.

234.
Christiani vinculis verberibusque multati.

235.
Unius beata
mors ex verberibus.

nibus ambiebat, hanc tandem suis virtutibus, ac mira præsertim erga omnes charitate promeruit.

236.
Xinus persecutionem pristinam movet.

Apparebat, hæc contra christianos fieri Xini tantum gratia, & ad demerendum Colai tunc præpotentis animum. Nemo enim erat qui non probe intelligeret, tantum a Pelinchiaii dissidere Christianos, quantum distat virtus a scelere, lux a tenebris: id quod doctor Paulus non minus copioso, quam eleganti volumine demonstravit. Re ipsa notatum est, illos duntaxat sævire instituisse iudices, qui aut Xini essent satellites manifesti, aut ejus ope indigerent ad honores consequendos. Fuit ubi duo jus dicebant præfecti, alter e grege spadonum, alter honoratissimi generis. Hic adductos ad se christianos clementer excepit, dimisitque sine noxa. Ille reos pronunciavit, verberibus vinculisque subjecit. Pari assentandi studio calamum strinxerunt alii, & antiquas calumnias scriptis criminosis refricuerunt. Delati sunt ad Imperatorem libelli supplices contra christianos: conscripta in divinam legem edicta tetra & ignominiosa, jactata contra Mandarinos Patrum receptores mina. Omnino id agebat per suos administratos perfidus, ut veterem excitaret procellam, nec cessaturus videbatur, nisi quodam quasi turbine circumactam in omnes Imperii provincias effudisset. At sibi non defuerunt Mandarini christiani. Falsis criminationibus veras reposuerunt contra Xinum accusationes, & manifesta flagitia. Sexcenti adversus impurum nebulonem libelli sceleribus exploratis graves perlati sunt in aulam, perque omnium manus immissi, per omnes provincias dissipati. Agnovit denique hominem Imperator, & in illa innocentium clade triumphantem summa Colai dignitate, qua maxime nocebat, spoliavit. Ita nudus, infamis, ejectus aula, rursus in natales tenebras se abdidit, ubi biennio post luctuosam, & anteaactæ similem vitam obiit. Observabant Sinæ nostrorum vultus, & gaudium interpretabantur, sublato tam potenti adversario. Nemini e nostris excidit læta vox: quod recti rerum affirmatores virtuti excelsa adscripserunt. Sed ne nimis læta hæc essent, ecce tibi paulo post afferuntur Peckino amicorum litteræ ad Patres Nankinenses, ex quibus rescitum est, graviora ipsis ingruere. Missam agebant Nankino ad regem christiana religionis novam accusationem, detectos cultores, indicatos Patres, eorum fautores & hospites accusatos. Diversabantur id temporis socii partim Hamcei, partim Xam-hajæ, nonnulli etiam Kiatimi, in ædibus illustrium mandarinorum Michaelis, Pauli, & Leonis, quorum sæpe nomina in hac historia recurringunt. His rebus cognitis, visum Patri Emmanueli Diaz sociorum præsidi, iis in locis non ultra consistendum, ne tam claris hospitibus, si forte apud eos deprehenderentur, damno essent. Itaque in proximas amicorum villas Patres demigraverunt, & aliquandiu publico abstinerunt. Sed elapso certo dierum spatio, nihil respondente ad accusationem Imperatore, aut illi oblatam non fuisse, aut non fuisse probatam putaverunt, proindeque suas in sedes tuto redierunt: procella autem exorians brevi conquievit. In tam incerto rerum suarum statu pergebant magno animo Patres in fide continere christianos veteres, & subinde novos acquirere: caute tamen, & lente, ne præpostera festinatione præsentis operæ fructum, & spem futuræ perderent. Inventus sub anni finem Christi grex plus mille adultis auctus, qui numerus pro conditione temporum non exiguus.

237.
Sed loco movetur denuo, & in ordinem redigitur.

238.
Timoris novæ causæ nostros latere cogunt.

239.
Fructus hoc anno collecti in Sina.

240.
Obitus & elogium Fr. Sebastiani Fernandez.

Verum inter hæc damnum hæud leve factum obitu fratris Sebastiani Fernandez, qui olim P. Matthæi Riccii itinerum comes, periculorum socius, laborum & meriti particeps, nunc eandem, ut sperare fas est, mercedem laborum est consecutus Hamcei, annos natus quinque & sexaginta, quorum duos & triginta in Societate transegerat. Vir in tradenda Christi doctrina assiduus, nulli pro salute animarum parcebat labori, nullas ærumnas recusabat. Sæpe in rebus adversis tolerandis dignum se probavit Ignatii militem, maxime vero in illa Nankinensi procella, quam libro hujus historiæ secundo fuscè descripsimus. Quas tunc ab ethnicis contumelias, quos cruciatus, & quanta alacritate tulit, ibi narratum est. Tamen ejusdem litteras e custodia, in qua detinebatur, ad

ad P. Longobardum datas, non alienum erit hoc loco exscribere: meram quippe pietatem spirant, & quam erecto esset inter gravissimas molestias animo, satis indicant. „ Iftas a me litteras, ait, habebit R. V., ut credo, speroque, ultimas. Nam hoc unum in votis mihi est, mori pro Christo, nisi mea me peccata tanto beneficio reddant indignum. Bono paratoque omnes animo ad supremum certamen sumus. Cras, luna vigesima secunda, producet in jus Frater Joannes Fernandez, & a delectis causa nostræ cognitoribus interrogabitur. Idem mihi sociisque triduo post examen subeundum erit. Nihil restat, nisi ut hanc inutilem vitam illi reddam, qui divinam suam mihi redimendo beandoque dedit. Consequi verbis non possum beneficia longe maxima, cœlestesque delicias, quibus ergastuli hujus angustias benignum Numen emollit. Utinam gratias illius munificentiae pares referre possem, qui tot bonis immerentem cumulat. Sic suos ille sensus explicabat. Cum esset Fernandus patria Sinensis, egregiam Sacerdotibus navabat operam, maxime cum illi apparere palam non audebant, faventibus inimicis. Tunc patrio & vultu, & sermone tutus impune commeabat, & Macaum usque excurrerat, ut inde annonam, vel quidpiam aliud ad usum missionis peteret. Quanta floreret apud populares opinione probitatis, argumento est, quod illum ad uxores suas, & filias in lege divina erudiendas assidue adhibebat: quo in munere hominis religiosa modestia mire omnibus satisfaciebat. Atque hæc de rebus Sinicis.

In Cocincina semen divini verbi hoc anno germinavit adeo feliciter, ut spem Patrum prope superaverit. Provinciam Cacionensem triennium excoluerat labore multo, fructu pene nullo P. Franciscus Pina. Expugnato demum uno, sed insigni superstitionis magistro, fructum præteriti laboris cepit uberrimum. Trecentos admodum adultos in Ecclesiæ septa, infantes plurimos in cœlesti regnum introduxit, & regionem superstitionibus inveteratis purgavit. Erat Faifone Mandarinus omnium quæ ibi vigeabant sectarum consultissimus. Doctiorem nullum tulisse Cocincina ferebatur. Sæpe cum Pina congressus, sæpe disputando victus, hærebat nihilominus in errore pertinaciter. Consumptis quæ ingenium & scientia suppeditabant, induxerat denique animum divinam profiteri legem, si eam in suis placitis constantem, ac minime variam inveniret. Hoc consilio, nemine quid pararet monito, longum iter ingreditur in provinciam Pulicambensem. Adit P. Buzomium, ignotum ignotus: interrogat eadem, quæ a Pina sæpe quæsierat: omnia congruentia, nihil discrepans ac diversum audit. Tantam utriusque doctoris consensionem, nihil dubitavit homo sagax, veritatis indicium esse. Reversus itaque Faifonem, advolvit se ad Patris Pinæ pedes. Quid egerit, quid cogitarit renunciat: sacro lustrari fonte postulat. Joseph a baptismo dictus, statim idolorum ex patrono acerrimus adversarius est factus, & popularium amplius quinquaginta ad Christum sola exempli auctoritate perpulit. Josepho post hæc debuit Ecclesiæ Cacionensis neophytum alium, inter regni proceres apprimè clarum. Philosophi cognomentum adeptus erat, ob ingenii perspicaciam, & ratiocinandi subtilitatem. Magnis perfunctus in aula muneribus, ætate jam devexa privatum in otium receperat se, ubi rerum cœlestium contemplationi, quantum fas ethnico est, totus vacabat. Ut mens ab omni terrena contage purgator ad cernendam veritatem assurgeret, vescebatur admodum parce, ac totum sæpe triduum cibo abstinebat. At miser in eam devenerat superbiam, ut omnia duceret infra se posita, divinosque honores affectaret. Syngraphas obsignabat, poscentibusque tribuebat, veluti certa contra morbos omnes amuleta. Ipse, quasi parta immortalitate lætus, mortalium vicem miserabatur, quos carnis tarda moles serius ocyus ad sepulchrum urgeret. Cum sic insaniret philosophus, morbo corripitur gravi & periculoso, quo mortalem se esse admonetur. De immortalitate vera ac beata sollicitus, vocat ad se P. Pinam, de quo multa audierat a Josepho Mandarino christiano, utque saltem christianus moriatur, erudiri, ac baptizari postulat. Petri nomen cum baptismo sumpserat: cum, ut fors tulit, a morbo protinus perfanatur. Tum vero

To. I,

F ff

cum

241.
Ejus litteræ ex
carcere Nanki-
nensi.

242.
RES
COCINCINÆ.
Cujusdam
Mandarini con-
versio in pro-
vincia Cacia-
nensi.

243.
Ejus exem-
plum sequitur
alter Mandari-
nus magni no-
minis.

244.
Ambo quem-
dam Onfajum
ad fidem pertra-
hant.

245.
Onfajus alter
cognitam veri-
tatem respuit.

246.
Consuetudo ap-
ponendi dapes
animabus mor-
tuorum.

247.
Tollitur a P. Pi-
na, vel potius
mutatur.

248.
Inde ad Chri-
stum adducun-
tur viri triginta.

cum Josepho studia conjunxit, ut Christo quam plurimos lucraretur. Cito se-
dit occasio. Unus quidam Onfajorum fanum molis non exigua Pagodibus (sic
illi sua vocant numina) extruebat. Josephus & Petrus, adhuc ethnici,
certam pecuniæ summam in illum sumptum promiserant; at nunc christiani
negabant quidquam sibi esse cum pagodibus. Unum esse cœli terræque condi-
torem Deum, cui divini honores deberentur. Si huic dicere ædificium vellet,
se quod promiserant cum fide repræsentaturos; at pro templo idolorum datu-
ros nihil. Miratus ille hominum, ut ajebat, inconstantiam, multa quæsit
de novo cultu, plura didicit, omnia probavit. Suscepto demum baptismo, &
Emmanuelis nomine, ut erat popularium veluti pastor, multis ut idem face-
rent persuasit, ac templum quod diabolo fruere cœperat, in veri Dei cultum
absolvit. Pari Numinis beneficio oculos aperuerat veritati alter Onfajus, sed
apertos ultro clausit, sibi que misere illisit. Idolorum ædituum cum esset, &
quæstuosum officium nollet dimittere, duas res maxime diversas speravit coag-
mentari simul posse, religionem veram, & superstitionem; Christum, & Belial;
alterum ad spem futuræ felicitatis, alterum ad præsentium commodorum fru-
ctum. Hac fiducia, in illo quod curabat templo aram Christo reparatori po-
suit, ejusque effigiem cum cæteris idolorum formis populo adorandam propo-
suit; partim, ut putabat, christianus, partim ethnicus. Frustra illum erroris
admonuit P. Pina. Suo sibi invento placebat in tantum miser, ut nec mira-
culo averti potuerit ab infania. Habitabat in proximo mulier multos enixa par-
tus, quos omnes veneficia, malum ibi frequens, extinxerant. Peperit nunc
denuo, & ad compescendam mali dæmonis vim, vicinum evocavit Onfajum.
Is inutilia expertus in aliis infantibus amuleta idolorum, parvam attulit cru-
cem, & puelli collo suspendit. Mirum dictu! Vixit illæsus & sospes puer. Ma-
ter virtutem Christi, & divinæ crucis agnoscens, christianam fidem suscepit.
At avarus sacrificulus hæsit nihilominus in suo errore, & eo quidem miserabi-
lius, quod errare perrexit libens volensque, utque habet illa divina vox: *No-
luit intelligere ut bene ageret.*

Cæterum nationi avarissima Onfajorum multis rebus incommodavit P. Pi-
na, Unam asserere in medium juvat. Mos erat in Cocincina erroris & incitiæ
plenus, ut certis anni diebus, justitio velut indicto, meris epulis indulgere-
tur. Tunc animabus etiam mortuorum apponebantur dapes, quibus refectæ
longum iter facilius conficerent, donec locum sibi ad quietem assignatum at-
tigissent. Cum objicerent illis nostri, animas ore ac stomacho carere, propte-
reaque vesci dapibus apposis non posse; respondebant, confici ab animabus ci-
borum partem defæcatissimam, quodque in iis maxime delicatum, subtile, ac
spiritali naturæ proximum esset: partem vero crassiorem relinqui, a sacer-
dotibus absumentam. Placebat hæc Onfajis philosophia, qui, ferculorum ni-
dore illo ac succo subtilissimo famelicis animabus libentissime concessio, pingui-
bus esculentis se familiaeque suas saginabant. Hinc major difficultas abrogandæ
ridiculæ consuetudinis, quam pari studio & sacerdotes, & populus tuebantur,
hic pietate in mortuos, illi sua utilitate ducti. Rationem excogitavit Pina,
quæ satisfaceret multitudini, & religionem christianam commendaret. Institu-
tum, ut dapes in mortuorum gratiam instrui solitæ pauperibus divideren-
tur; qua ex liberalitate fructum caperent mortui, si objissent christiani, vel sal-
tem pauperum inopia levaretur, si ethnici decessissent. Novum institutum pro-
bavit vehementer populus, non ereptum sibi morem, sed mutatum gaudens,
laudavitque rationem, quæ sic juvaret vivos æque ac mortuos, ut tamen sacer-
dotibus christianorum nihil prodesset. Soli urebantur Onfaji, & inventum di-
ris omnibus devovebant. Fuit magnarum opum neophytus, qui parentalia ex
veteri more facturus, præter distributa pauperibus fercula, amicorum ingen-
tem numerum lauto convivio exceperit, ne sumptui parere per avaritiam vide-
retur. Illato super mensam sermone de religione, vanam rem, ac plane stul-
tam ajebat esse, animabus immortalibus terrenas dapes apponere. Hæc ut au-
dita,

dita, stomachati graviter aliqui convivarum, proripuerunt sese, ne malis, ut inquebant, artibus Europæi doctoris de mente dejicerentur. At qui manserunt viri circiter triginta, erudiri plenius uberiusque petierunt, & auditis christianorum institutionibus, Christo se pariter adjunxerunt.

Nuocmani interim in provincia Pulicambensi P. Buzomius lætam neophytorum sobolem ad omnia religionis officia informabat, & novis in dies incrementis augebat. Ducenti viginti quinque fuerunt, quos hoc anno christianis addidit. In his Damianus quidam, antea magni Onfajus nominis, idolorum, haud paulo acrior hostis habebatur, quam olim cultor fuisset. Vir sacro fervens ardore, rapi se sentiebat ad confringenda omnia falsorum numinum simulacra: fecissetque quocunque suo periculo, nisi sic animatum continuisset Buzomius, ne contra exiguam manum neophytorum tota ethnicorum multitudo concitaretur. Prohibere tamen non potuit, ne tale facinus inceptarent per summam improbitatem ipsi met Onfaji, ad conflandum scilicet christianis odium inexpressibile, seditionemque concitandam. Templum erat nostris ædibus vicinum, plurimis & ornatissimis inanum deorum statuis celebre. Huc aliqui Onfajorum se inferunt noctu, sternunt humi simulacra, confringunt, atque comminuunt, sparsis temere per pavementum capitibus, cruribus, brachiisque, ut factum dedita opera videretur ad inferendam numinibus contumeliam. Mane summo, apertis templi foribus, apparuit foeda clades. Primi omnium debacchantur Onfaji cladis auctores. Rumorem dissipant, facinus impium a Patribus designatum fuisse, ab eorum discipulis paratum. Ulciscendam deorum injuriam, per dendos religionum antiquarum hostes, architectos novæ sectæ penitus exterminandos. Colligit deinde statuarum informes reliquias: confusa cruribus manibusque capita deferunt ad Mandarinios, ac flebili vociferatione sacrilegos numinum violatores ad poenam deposcunt. Cum idem clamitaret concitata plebecula, nihil propius faciendum videbatur, quam ut innoxii pastores cum universo grege, tanquam furoris publici victimæ, mactarentur. Suadebant Patribus amici, ut certissimum exitum fuga, exilioque voluntario præverterent. Christiani jam sacras imagines, & cruces domi abscondere: sanctissimum Jesu nomen, quod præfixum foribus habebant, deripere. At Buzomius, nihil inconsiderate movendum ratus, rei exitum opperiri. Præerat conventui Mandarinorum senior, cui notæ Bonziorum artes, quemque vulgi ludibria non facile caperent. Is tanto lentius festinandum judicans, quanto vehementius instabant accusatores, eundem in jus pronunciat, de re tota quæstionem instituendam. Eo responso refrexit paululum accusatorum ardor, metu poenæ subeunte. Sensit Buzomius, versaque vice, relictas ab adversariis accusandi partes sumpsit. Cæcilianum proficiscitur, ubi regis filius imperabat. Dari sibi iudices poscit, accusatores suos calumnie postulat. Princeps produci testes, interrogari, pervestigari omnia diligenter jubet. Causa cognita, declaratum est, sacrilegii neque conscios, neque auctores extitisse Patres. Crimen omne conjectum in improbos sacrificulos, qui suum in viros innocentes & probos odium explere, etiam cum deorum injuria, voluissent. Reliquum erat, ut fontes pro modo culpæ plecterentur. Poenam illis omnem est deprecatus Buzomius, satis habens ut quiescerent. Quæperspecta, & laudata moderatione, edixit Princeps ut liceret deinceps Patribus divinam legem ubilibet explicare, ac ne quis molestiam auderet illis facessere vetuit. Ita demum vertit in profectum christianæ rei, quod adversarii ad ejusdem excidium paraverant. Sed jam relicta Asia, stilum in Americam transferamus.

Non multum hic immorabimur. Ex omnibus provinciis tantum attingemus Peruanam, ac Mexicanam, & ex omni rerum copia quædam solummodo exequemur funera, sed plane memorabilia. Primo occurrit loco mors viri tota Peruvia nominatissimi, Patris Pauli Josephi de Arriaga, quem constat hoc anno decessisse, sed quo potissimum die, incertum. Ibat Arriaga in Hispaniam gravium procurator negotiorum, seque illi comitem adjunxerat P. Claudius

To. I.

Fff 2

Co-

249.
Progressus religionis in provincia Pulicambensi.

250.
Calumnia contra Patres confecta, eorumque periculum.

251.
Diffatur calumnia, Patres periculo liberantur.

252.
RES PERUANÆ.
Mors admiranda P. Pauli Josephi de Arriaga.

Colinus a Mutio Romam evocatus, Vela fecerant ambo cum classe navium duodetriginta, quarum pars maxima negotiatorum, regiae nonnullæ. Ac principio quidem prospera navigatione usi fuerant. At proventus in altum ex Havana tam seva oppressit tempestas, ut ex omni numero navium obruta fuerint decem, reliquæ dissipatæ, & ad diversos oceani portus actæ. Eo naufragio perisse tradunt, præter ingentem auri argentique, tum rudis, tum signati vim, hominum mille & quadringentos, in quibus fuere Colinus, & Arriaga. Sed hujus mors admodum admiranda. Ubi vidit sevitiam maris ingravescere, ac discrimen ultimum imminere, prodiit nudatis humeris in mediam navim, horribilem in modum flagris se diverberans, ut omnes ad poenitentiam criminum excitaret. Tum convectoribus rite ac celeriter expiatis, extulit Christi crucifixi signum in puppi summa, provolutusque in genua, perstitit duas circiter horas, partim precari Deum pro communi salute, partim ad socios apta temporis verba facere, donec repente defectus voce & viribus concidit. Accurrerunt aliqui statim, operi laturo. At animam exhalaverat jam, æstu charitatis, ut pie creditum est, consumptus: ac paulo post navis, laxatis compagibus, demersa est. Hæc deinde testati sunt, qui procellam enatando superarunt nauta. Arriagam porro sola charitate fuisse extinctum, credibile facit ardor ille pietatis summus, quo ferebatur in Deum. Præter coelestia, nihil magnopere, cordi habebat. Qui eum intime norat P. Alvarus de Paz (eximius ille religiosa perfectionis magister, quem nominare laudare est), affirmabat passim, communem modum excedere sanctitatem Arriagæ; auditusque est sæpe cum diceret, se, si fuisset superstes, enarraturum de illo res plane admirabiles, & humana fide majores. Sed ut insignia fuerint, quæ unus novit, quæ in omnium versata sunt oculis, vulgaria non fuerunt, Precandi studio magnam diei noctisque partem in templo transigebat. Somnum carpebat brevissimum, nunquam strato, sed vel altaris gradibus incumbens, vel scamno. Parcissime victitabat, solitus plures intra hebdomadam dies solo pane ac frigida tolerare. Charitas illi erga proximos tanta, ut Indorum omnium haberetur quasi commune perfugium. Multa creditur & loco & tempore remota divinitus præsentisse: cujus rei in illa ipsa naufragii calamitate documentum dedit. Nam cum inter primos ad ejus pedes se abjecisset præfectus navis, ut peccata confiteretur, repulit illum Arriaga, facturum inquiens alio tempore ac loco commodius, eoque posthabito, alios audire maluit. Quo hæc spectarent, postea cognitum est. Etenim præfectus fuit ex paucis, qui in terram incolumes evasere. Natus erat Oceania in diocesi Toletana ante annos ferme sexaginta.

254.
Mors & elogium P. Joannis Sebastiani.

Parem habebat opinionem virtutis Pater Joannes Sebastianus, Lima extinctus xi. Cal. Junii, quo die se moriturum prædixerat. Daroca ortus erat in Aragonia, domo nobili, & locuplete. Compluti studiis operans, adeo morum gravitate & modestia spectabatur, ut passim apud æquales adolescentes senex audiret. Societatem ingressus est anno ætatis vigesimo, exactoque magna cum laude tirocinio, theologiam audiit primo, nec multo post etiam docuit. Sed ut eminebat supra cæteras ejus dotes religiosa prudentia, ad gubernandum tractus est, & Oceaniensi collegio rector impositus. Hinc navigavit in Peruviam, ubi minoribus collegiis per diu administratis, postremo universa provincia semel atque iterum præfuit, versatus in magistratu annos continenter quadraginta. In tam diuturno usu imperandi nunquam causatus est occupationes publici muneris multas & varias, ne ad usitata operariorum ministeria descenderet. Nemo omnium, sive in audiendis poenitentibus, sive in habendis concionibus illo frequentior. Cum provinciam ex officio obibat, simul atque ad aliquod oppidum accessisset, solebat oppidum circumire vicatim cum tintinabulo, cogere in unum indigenas, docere, hortari ad pietatem omnes, demum confitentes audire. Oratoria laude plurimum excellebat. At qualis dicendi ardor! Quæ verborum flumina! In actis, quæ Limensis Archiepiscopus Ferdinandus Arias de Ugarte conficienda curavit de sanctimonia ipsius, extant clarorum

rum virorum testimonia, qui jurati dixerunt, visum sibi Sebastianum vel Gregorio, vel Chrystostomo comparabilem. Omnes consentiunt, Peruvianorum apostolum ex vero nominatum fuisse. Lima concionabatur ut plurimum in aperto foro prope tabernam argentariam. Accidit quadam die, ut ratiocinator in subducendis rationibus occupatus agrius ferret obstrepentem ejus vocem, ac secum tacitus quereretur. Mussitanti insonuit Sebastiani oratio solito commotior: *Qui in componendis pecuniarum rationibus dies noctesque occupamini, nunquam ne eas componetis, quas estis supremo judici reddituri!* Vix ea. Percussus ille, attonitusque, eodem momento temporis vitæ propositum commutavit, postridie vero Societati se tradidit. Sed longum esset omnia ejusdem generis persequi. Tantam Sebastianus dicendi facultatem, non tam ingenio industriaque comparaverat, quam ex altioribus causis hauriebat. Senas quotidie horas, magnam partem nocturnæ quieti detractas, hærebat in rerum cœlestium contemplatione defixus. Hinc illa verborum ac sententiarum copia, qua ad dicendum de divinis rebus nunquam non inveniebatur paratus. Hinc etiam rerum omnium humanarum summus contemptus, & abdicatio. Paupertatem ita colebat, ut nec inter domesticos adjuutores quisquam illo Provinciali esset egentior. Læctum villosò arietis corio supplebat. Cucurbitarum capita sole durata habebat loco lancium, idque in ea regione, ubi pro copia argenti etiam apud plerosque religiosorum in usu sunt vasa argentea. Patinis conveniebant dapes. Sæpe ad panem & aquam adhibebat nihil. Nonnunquam totum triduum unico pane toleravit. Flagris se quotidie crudeliter concidebat. Cilicio amiciebatur hispido, ac fere assiduo. Quasi autem nimis vulgaria hæc essent, homo, cum in omnibus rebus, tum præsertim in se cruciando summe ingeniosus, laminas excogitavit ferreas, ac dentatas, quas calceis includebat identidem, ut ne imi quidem pedes expertes essent sui cruciatus, nec gradum promovere sine acerbissimo doloris sensu possent. Post hæc nemini mirum sit, Sebastianum aut futura divinitus prævidisse, aut cordium occulta penetrasse, aut inter orandum fuisse conspectum in aere sublimem, & cœlesti lumine circumfusum: quæ ab aliis narrata ego prætereo, quippe non tam materiam admirationis colligens, quam exempli. Ejus funus omnes civitatis ordines honestaverunt, summis infimisque certantibus, ut eum eximie colerent virum, quem vere sanctum prædicabant. Vixit in Societate annos quinquaginta, ac præter incredibile desiderium sui, opus reliquit *De excellentiis & obligationibus status clericalis*, quod deinde typis editum est, cum hispanice, tum latine.

Provincia Mexicana duos item extulit excellenti virtute Patres, Augustinum Canum, & Nicolaum de Arnaya, de quibus singulis pauca nostro more delibamus. Decessit P. Augustinus Canus VIII. Cal. Octobres Vallisoleti in provincia Mechoacana, dum maxime collegium illud cum eximia laude administrabat. Natus erat Mexici, parentibus genere opibusque clarissimis. Adolescens cum præstaret ingenio plurimum, & ad amplam fortunam coniti non immerito posset, vanas mundi spes paupertati religiosæ posthabuit, primusque omnium fuisse dicitur ex ejus regni coloniis, qui Societatem ingrederetur. Humaniorum litterarum scientia habebatur totius provinciæ facile princeps, in superioribus nulli secundus. Itaque rhetoricam primo docuit, deinde totis viginti annis sacros bibliorum codices Mexici explanavit, fama adeo secunda, ut ei Præpositus Generalis ultro potestatem fecerit vulgandi lucubrationes suas, quas tamen ipse suppressas maluit, studio modestiæ, & humilitatis. Hanc virtutem colebat præ cæteris, idque affectus videbatur, ut quanto erat omnium opinione major, tanto sibi vilior appareret. Non eum claritas generis, non splendida cognationes, non potentiorum familiaritas, non fama doctrinæ aliquando quantulacunque aura ambitionis inflarunt. Par demissioni pietas, par religio. Ad aram faciens, binas minimum horas, sæpe ternas perstabat immotus, nec præ meatu dulcedine sentiebat, quantum præfinitam temporis lineam transsili-ret. Decumbebat morti proximus: utque forte existimabat vacare arbitris locum

in

255.
RES
MEXICANÆ.
Mors & elo-
gium P. Augu-
stini Cani.

256.
Obitus & elo-
gium P. Nico-
lai de Arnaya.

in quo jacebat, exorsus cum Dejpara familiare colloquium, ei gratias prolixè egit, cum pro aliis multis maximisque beneficiis, tum pro eo nominatim, quod se ad illam usque diem servasset pravæ expertem libidinis: quo raram castimoniam laudem vel nolens prodidit. Agebat cum mortuus est annum ætatis septuagesimum. P. Nicolaus de Arnaya, vir cunctis instructus animi ornamentis, sed prudentia in primis, post minores alias præfecturas, provinciam universam per sex annos cum approbatione omnium secundissima rexit. Mexicanam, atque Otomiticam linguam ita callebat, ut nemo magis. Ejus potissimum sedulitate, & industria, natio Chichimecarum ferox, & diu contra Evangelii veritatem contumax, Societatem primo, & mox cœlestem doctrinam recepit. Multa de Arnaya memoriæ prodita sunt documenta virtutis, quæ longum esset percurrere: sed unum insigne præ cæteris, nec tacendum. Vir nobilis ediderat libellum nescio quem odiosissimum, suppresso nomine auctoris. Videns postmodum oriri ob eam rem turbas, multorumque animos contra scriptorem ignotum concitari, reum libelli fecit Arnayam. Non ignorabat hic de vero auctore: tamen invidiam facti ferre tacitus maluit, quam eam cum infamia calumniatoris a se depellere. Id quod cum deinde rescitum est (nam ipse doli artifex conscientiam stimulis agitatus rem omnem coram idoneis testibus aperuit), mirati omnes sunt generosum viri silentium in tam justa, ac prope necessariâ causa loquendi. Decessit Mexici xi. Cal. Aprilis, annos natus sexaginta quinque, quorum sex supra quadraginta posuerat in Societate. Erat natione Hispanus, patria Segovien-sis. Debet illi posteritas, præter alia ingenii monumenta, compendium meditationum Ludovici de Ponte, quod italice redditum proditit Roma hoc ipso anno labente.

257.
Mors & elo-
gium P. Augu-
stini de Quiros.

Duobus, quos hætenus laudavi, Patribus merito est adjungendus P. Augustinus de Quiros. Quamvis enim ad provinciam Mexicanam proprie non pertineret, in eam tamen venerat visitator, & fors tulit ut eandem suo funere illustraret. Cæterum huc nuper delatus fuerat ex provincia Bætica. Lustrationem autem vix instituerat, cum sive ob navigationis incommoda, sive ob cœli diversitatem, lethali morbo correptus est, quo intra paucos dies consumptus occubuit Idibus Decembris. Licet brevi admodum spatio versatus Mexici, tantam sibi jam conciliaverat domi forisque benevolentiam, seu venerationem potius, ut ejus obitum fleverit civitas universa, omnesque ordines civitatis ut viro sanctissimo parentaverint. Nimirum præclara dotes, tum quas a natura hauserat, tum quas virtute & industria comparaverat, non paulatim explicabant sese, sed statim in oculos intuentium incurrebant, & omnium ad se animos rapiabant. Nihil illo fingi poterat neque modestius, neque amabilius. Post minores aliquot præfecturas, totam rexerat provinciam Baticam, pari commendatione prudentiæ, ac probitatis. In magistratu id curabat primum, ne quid labi sineret ex religiosa disciplina: deinde ut suorum necessitatibus commodisque serviret, magistrorum præsertim, quibus plusculum etiam quam cæteris indulgebat interdum, modo ne suo deessent muneri, quod erat ipsi ex omnibus longe gravissimum. Nihil majoris momenti suscipiebat, non ante Deo per piâs preces consulto. Precationis vero quotidianæ spatium, quod apud nos lege præscribitur, ad plures horas quotidie producebat. Quam benignus erga alios, tam erga se austerus, in victu & vestitu deteriora semper sumebat sibi. Provincialis cum esset, ne certum quidem ac proprium habere unquam voluit pallium, sed quod primo occurreret, eo cum opus erat utebatur, studio paupertatis, quam virtutem inter cæteras eximie amabat, colebatque. Litteratura illi multiplex, & exquisita. Præter quam quod græcè & hebraicè sciebat egregie, multos continenter annos in sacris litteris interpretandis posuit, ejusque argumenti commentarios edidit doctorum judicio laudatos. Natus erat loco nobili in eo Hispaniæ Baticæ oppido, quod Illiturgium antiquis, nunc Andujar vulgo dicitur. Agebat cum mortuus est annum ætatis quinquagesimum sextum, ab ingressu in Societatem quadagesimum primum.